


45570


Synodus dioecesana
Labacensis

II.

1908









SYNODUS DIOCESANA LABACENSIS II

QUAM
DIEBUS 24—28 MENSIS AUGUSTI A. 1908

HABUIT
ANTONIUS BONAVENTURA JEGLIČ
EPISCOPUS LABACENSIS.



LABACI
SUMPTIBUS ORDINARIATUS.
TYPIS TYPOGRAPHIAE CATHOLICAE.

1908.

45570



030043609

Indictio Synodi dioecesanae secundae.

Antonius Bonaventura

Dei miseratione et apostolicae Sedis gratia
episcopus Labacensis.

Venerabili ac dilecto clero salutem et benedictionem a Domino.

Cum sancta Mater Ecclesia tum in conciliis provincialibus, tum in conciliis oecumenicis frequentem immo annuam celebrationem Synodi dioecesanae urgeat, Nos omnia mandata illius executioni dare cupientes, nunc elapsis iam a prima Nostra Synodo *annis quinque* in conscientia obligamur et quasi cogimur convocare atque celebrare *Synodum secundam*.

Convocationem variae rationes urgent. Potissima ratio est *obedientia filialis erga Matrem Ecclesiam*. Secunda *necessitas removendi varios defectus in administratione bonorum ecclesiasticorum, in gerendis negotiis cancellariae, in ordine cultus divini publici, in cura pro ecclesiis eorumque suppliectili*. Tertia est desiderium promovendi studium *artis ecclesiasticae, cantus ecclesiastici et musicae sacrae*. Quarta attentos reddere curatos animarum ad *remedia apta contra peccata luxuriae praeprimis tempore iuuentutis*. Quinta vota fere totius cleri dioecesani.

Necessariam vel saltem valde opportunam et a clero exoptatam esse tractationem synodalem praedictarum partium atque obligationum curae animarum e visitatione canonica, qua nunc iam secunda vice totam dioecesim perlustravimus, atque ex conferentiis decanorum, quos quolibet

anno post festa paschalia in aedibus nostris residentialibus congregare consuevimus, sufficienter cognovimus.

Materiam omnem in congressibus annualibus decanorum discutiebamus, immo in folio quoque nostro dioecesano pertractabamus et quidem hunc in finem, ut clerus ipse materias in Synodo tractandas perpendere nec non in Synodo, praeprimis in congregationibus particularibus cum iudicio maturo de constitutionibus synodalibus, quae discutienda propONENTUR, sententiam suam edicere atque consilium dare valeat.

Nam licet in Synodo dioecesana *Ordinarius unicus sit iudex atque legislator*, nihilominus libentissime audiet, maxime aestimabit vota et consilia omnium Synoditarum bene sciens ad prudentiam pertinere docilitatem persuasusque talem docilitatem Deo valde gratam esse.

Rebus ita stantibus potestate nostra ordinaria atque requisita sententia Capituli ecclesiae cathedralis in gloriam Ss. Cordis Jesu, in honorem B. V. Mariae, S. Joseph eius sponsi et dioecesis nostrarae patroni, atque S. Nicolai, titularis ecclesiae cathedralis omniumque Sanctorum

Synodus dioecesanam secundam

a Vesperis diei 24. usque ad mane diei 28. Augusti huius anni celebrandam indicimus Labaci in ecclesia cathedrali secundum ordinem ab Ecclesia praescriptum.

Ad Synodum vero vocamus atque canonice requirimus:

1. Nostrum vicarium generalem, Capitulum cathedralē atque saltem procuratores capituli collegiati Rudolfswertensis.

2. omnes decanos atque parochos, administratores parochiarum atque vicarios tum saeculares tum regulares, curatos, expositos nec non capellanos curam animarum independenter exercentes, dein beneficiatos cum vel sine cura animarum.

3. rev. abbatem Sitticensem, P. provincialem Ordinis fratrum minorum, omnes priores, rectores et superiores ordinum religiosorum.

Cunctos hos solemniter et publice advocamus atque interesse Synodo iubemus. Si autem horum quispiam iusto

impendimento se retentum iudicaverit, *excusationis legitime causam opportuno tempore ad Synodum deferendam et probandam esse sciverit.*

Deinde *instanter invitamus:*

4. directores, professores, et praefectos in nostris seminariis tum clericorum, tum puerorum, patres spirituales in conventibus religiosarum, professores religionis in omnibus scholis mediis nec non catedratis scholarum elementarium;

5. ultimo etiam cooperatores iu cura animarum et quidem illos, de quibus decanus iudicaverit, illos absque spirituali damno fidelium, praecipue aegrotorum per quatuor dies absentes esse posse.

Parochos, praecipue illos, qui cooperatores non habent, monemus, ut antequam e parochiis discedant, graviter decumbentibus sancta Sacraenta administrent populumque edoceant, ubi in casu necessitatis provisio infirmorum petenda sit.

Cum in Synodo dioecesana omnes Synoditae spiritu renoventur oporteat, iuxta praescripta Ecclesiae curavimus, ut Synodo exercitia spiritualia adiungantur cum communione generali in ultima sessione; simul indulgentias plenarias cum pro clero tum pro populo iusto tempore publicabimus.

Ut autem opus, quod aggredimur, tum clero, tum populo sit salutare, benedictionem divinam ardenter imploremus! Quapropter inde *a die 16. usque ad 24. Augusti inclusive* omnes dioecesis nostrae sacerdotes missae inserant orationem de Spiritu Sancto rubricis *id^e permittentibus, deinde Domini- nica XI. post Pentecosten in omnibus ecclesiis curatis Sanctissimum per medianam horam publicae adorationi exponatur* Illoque exposito litaniae omnium Sanctorum recitentur, prius vero fidelibus exponatur, quinam sit Synodi finis, quaenam eiusdem gravitas et utilitas. Postremo die 24. Augusti ad vesperum in omnibus praedictis ecclesiis campanae omnes per quartam horae partem pulsentur.

Fratres dilectissimi, magno desiderio adventum vestrum expectabo speroque fore, ut nobis omnibus in unum congregatis adfuturus sit Spiritus Sanctus, qui gaudio inenarrabili

replebit corda nostra, qui que vinculo vere caritatis omnes nos
in unum devinciet idoneosque efficiet ad proelianda proelia
Domini.

In omnibus vero honorificetur Deus per Jesum Christum,
cui est gloria et imperium in saecula saeculorum. Amen.

Datum Labaci in festo S. Bonaventurae, die 14. Julii 1908.

*† Antonius Bonaventura
episcopus.*

Rerum gestarum

brevis

Relatio.

I.

Res gestae ante coactam Synodum.

Sub finem Synodi dioecesanae Labacensis, quae a. d. 1903 in ecclesia cathedrali Sti Nicolai felici successu celebrata est, edixit Illustrissimus Princeps Episcopus Antonius Bonaventura Jeglič, esse sibi in votis, Deo optimo iuvante, post quinquennium, cum totam dioecesim denuo canonice visitasset, alteram Synodum cogere.

Reverendissimum Antistitem spes non fefellit. Impiger in itineribus peragrabat amplam dioecesim, quoad hoc anno visitationem perfecit. Praeterea iam inde a prima Synodo ei curae fuit mature praeparare omnia, quae ad Synodum alteram celebrandam spectarent. Quem in finem a congregationibus decanorum et conferentiis pastoralibus quotannis coactis eas selegit res disputandas, quas in Synodo erat propositurus.¹⁾ Designavit etiam iusto tempore viros peritos, qui constitutiones synodales diligenter perlustrarent, quo in coetibus particularibus Synodi eas possent interpretari. Ut omnes sacerdotes res gerendas necnon ordinem ac rationem agendi in Synodo bene cognoscerent, iussit typis edi librum, quo ista descripta sunt.²⁾

Ne praetermitteret, quod sacris canonibus sancitum est, dedit pridie Idus Julias anni delabentis ad venerabile Capitulum ecclesiae cathedralis Labacensis litteras, in quibus haec sunt scripta:

¹⁾ Vid. quaestiones propositas et relationes de conferentiis in folio dioecesano »Ljubljanski Škofijski List« a. 1905, 1906, 1908.

²⁾ Red in opravila druge ljubljanske škofijske sinode, sklicane za čas od 24. do 28. avgusta l. 1908. Ukažal natisniti prevzvišeni in premilostni gospod gospod Anton Bonaventura, knezoškof Ljubljanski. V Ljubljani, 1908.

*Reverendissimo Capitulo ecclesiae cathedralis
Labaci.*

Cum materia in Synodo secunda discutienda in annualibus congressibus decanorum inde a prima Synodo praepararetur, cumque constitutiones fere omnes iam conceptae et stylo synodali conscriptae sint, Synodus secundam ultima hebdomade mensis Augusti celebrare intendimus.

Constitutiones ipsas ex parte recurrente adhuc mense Julio, ex parte vero initio mensis Augusti reverendissimo Capitulo cum enixis precibus mittere volumus, ut Capitulum sententiam suam desuper Nobis aperire non dignetur.

Ut vero decretis Synodi maius pondus maiorque auctoritas concilietur, opus est, ut iuxta normam a iure praescriptam ad faciendam Synodum et Constitutiones publicandas sententia Capituli requiratur.

Quapropter praesenti scripto de Synodo celebranda nec non de eis, quae ad maiorem Dei gloriam animarumque salutem decreturi et publicaturi sumus, Vestrum consilium resp. consensum requirimus.

Interius ex praecordiis cuncta felicia fausta que Vobis adprecamur a Domino, qui Vos elegit et posuit, ut sitis quasi Synodus constans Episcopi, sitis Eius senatus et corona.

Datum die 14. Julii 1908.

*Antonius Bonaventura
episcopus.*

Respondit Capitulum eccl. cathedralis ad ea, quae quae sita erant, Idibus eiusdem mensis:

*Celsissimo ac Reverendissimo Domino
Domino Dr. Antonio Bonaventurae
Principi-Episcopo Labaci.*

*Gratiosas literas Tuae Celsitudinis die 14. Julii a. c
sub num. 3303. datas de celebranda secunda Synodo dioe-*

*cesana infrascriptum Capitulum maximo excepit gaudio,
opusque istud susceptum ad promovendam maiorem Dei
gloriam animarumque salutem pro viribus adiuvari ope-
ram dabit.*

Capitulum ecclesiae cathedralis.

Labaci, die 15. Julii 1908.

*Joann. Sajovic
praepositus.*

*A. Fettich-Frankheim
cap. cancellarius.*

Sciens autem Reverendissimus Praesul, actiones synodales prospere succedere non posse, nisi Deus gratia sua illas prosequeretur, misit postridie Idus Junias Romam libellum supplicem, quo petiit a Summo Pontifice, ut operi intento Benedictionem Apostolicam impertiret, Clero et populo Indulgentias plenarias concederet. Libelli haec sunt verba:

Beatissime Pater!

Inde a vesperis diei 24. Augusti usque ad manc diei 28. eiusdem mensis anni currentis Synodus Labacensis secunda celebrabitur.

Ut favor coelestis nobis praestetur, rogo Sanctitatem Vestram, ut concedere dignetur:

a) *Indulgentias plenarias omnibus christifidelibus, qui Sacramentis Poenitentiae et SS. Eucharistiae rite perceptis ecclesiam cathedralem vel unam ex ecclesiis parochialibus urbis Labaci durante Synodo visitaverint atque ad intentionem Summi Pontificis oraverint;*

b) *Benedictionem Apostolicam mihi et omnibus Sacerdotibus in Synodo congregatis.*

Quam gratiam ad pedes Vestrae Sanctitatis pro volutus eosque exosculans humiliter necnon instanter petit

Vestrae Sanctitati Obedientissimus

Labaci, die 14. Junii 1908.

*Antonius Bonaventura
episcopus Labacensis.*

Ad primam partem libelli rescriptsit S. Congreg. Indulg.
et SS. Reliquiar. a. d. X Kalendas Augustas:

*SS. D. N. Pius PP. X., in Audientia habita die
22. Julii 1908 ab infrascripto Card. Praef. S. C. Indul-
gentiis sacrisque Reliquiis praepositae, benigne concessit
praefatam Indulgenciam, semel tantum intra memoratum
temporis spatium lucrandum. Praesenti valituro absque
ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non
obstantibus.*

*Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. C., die
22. Julii 1908.*

S. Card. Cretoni, Praef.

D. Panici, Archiep. Laodicen., Secretarius.

Quod vero attinet ad Apostolicam Benedictionem, Sanc-
tissimus Pater Pius Papa X. perbenigne episcopo Oratori
litteras sua manu scriptas pridie Nonas Augustas mittere di-
gnatus est.

Chirographi haec sunt verba:

*Collaudamus, uti aequum est, et Te ipsum, Vene-
rabilis frater, et Clerum tuum de proposito celebrandi
propediem secundam Synodum Labacensem, et confi-
dimus fore, ut ex communibus coeptis ac laboribus
vestris salutares lectissimique fructus, Deo bene iuvante,
eveniant. Et divini adiutorii auspicem ac paternae bene-
volentiae nostrae testem, Apostolicam Benedictionem Tibi,
Venerabilis frater, cunctis dilectis e Clero peramanter
impertimus.*

*Ex Aedibus Vaticanis die IV. mensis Sextilis Anno
MCMVIII.*

Pius PP. X.

Praeparatis itaque, quae opus sunt, Reverendissimus
Antistes pridie Idus Julias sollemniter indixit Synodum dioe-
cesanam secundam a Vesperis diei 24 usque ad mane diei
28. Augusti huius anni celebrandam in ecclesia cathedrali se-
cundum ordinem ab Ecclesia praescriptum.¹⁾ Ut autem Spi-

¹⁾ Vide folium dioec. »Ljubljanski Škofijski List« 1908, n. VI.

ritus Sanctus conventum synodalem doceret, quid agendum; ostenderet, quo gradiendum; operaretur, quod efficiendum: omnes sacerdotes ex mandato Celsissimi per octo dies ante Synodum s. Sacrificio Missae inserebant collectam de Spiritu Sancto: dominica vero XI post Pentecosten in omnibus ecclesiis curatis Sanctissimum Sacramentum per medium horam expositum est et recitatae sunt litaniae omnium Sanctorum.

II.

Acta primae Congregationis generalis.

A. d. IX Kalendas Septembres, festo S. Bartholomaei Ap., hora quinta pomeridiana quam plurimi sacerdotes undique ex Labacensi Dioecesi in ecclesia cathedrali Sti Nicolai ad secundam Synodus dioecesanam celebrandam congregati sunt. Magister caeremoniarum curavit, ut suo quisque loco consisteret. Omnibus in ordinem coactis venit postremo sollemni comitatu vener. Capituli Reverendissimus Episcopus in aedes sacras. In ingressu Celsissimi recitati sunt ex more Psalmi 14, 45, 50; Psalmos exceptit cantus Antiphonae »Salve Regina«, quo ad finem deducto Illustrissimus Praesul dixit Versiculum et Orationem.

Deinde expositum est Sanctissimum Sacramentum, et cantatis hymnis »Veni Creator Spiritus«, »Tantum ergo« et »Genitori« Reverendissimus Episcopus dedit benedictionem.

Cum Sanctissimum in tabernaculo repositum esset, Illustrissimus Antistes ascendit ambonem, ex quo salutatis in Domino omnibus congregatis primam orationem synodalem habuit.

Allocutio salutatoria.

Laudetur Jesus Christus. In Synodum secundam congregatos ex intimis visceribus saluto. Benedicti, qui venistis in nomine Domini!

1.

A prima Synodo elapsum est quinquennium. Pauci quidem anni, ast pleni sudore et labore pro Christo, pro eiusdem Ecclesia et populo. Multum laborastis et desudastis in

vinea Domini; labores Vestri inanes non fuerunt, e contra Deo benedicente fructus protulerunt uberrimos.

In quantum scire possum, educatio parvolorum fecit progressum. Cur? Quia ordinationes primae Synodi de institutione matrum,¹⁾ deque educatione proliis in schola et quidem ope convenientis methodi²⁾ executioni mandare conabamini. Praeprimis ea conamina Vesta semper laudabam hodieque iterum laudo, quibus iuventutem, quae scholam populariem frequentat, ad frequentiorem susceptionem Sacramentorum inclinare satagebatis.³⁾

Neque puberum post annos pubertatis oblii estis. Hanc Vestram curam tot Congregationes Marianae utriusque sexus,⁴⁾ tot associationes ad excolendam iuventutem,⁵⁾ tot cassae parsimoniales⁶⁾ adamussim testantur. Et quanto gaudio nec non fervore associationes iuventutis gymnasticas erigere contenditis!

Obedientes mandatis Synodi primae ad sanctificationem familiae multum contulisti. Quot familiae Vestra cura adscriptae sunt associationi a sacra Familia!⁷⁾ A vestris instructionibus et precibus repetendum est, quod oratio matutina et vespertina, ante et post mensam, ad salutationem angelicam in familiis conservata est ferventerque colitur.⁸⁾ Multa opera sanctificationem quoque dierum festivorum promovebatis: saltationes prius frequentes nunc rarae evaserunt, circumvagations nocturnae iuvenum nec non amores illiciti valde imminuti sunt; utinam frequentatio quoque cauponarum nimiusque usus potuum alcoholicorum similiter imminutus fuisset!⁹⁾

Cultus Eucharistiae atque Sanctissimi Cordis Iesu¹⁰⁾ de currente hoc quinquennio mira cepit incrementa. O quanto solatio mihi Vobisque est populus congregatus coram tabernaculo qualibet Dominica prima cuiuslibet mensis, in festo ss. Cordis Jesu nec non in singulis parochiis in diebus, quibus in illa parochia adoratio per integrum diem determinata est!

¹⁾ Synodus I, pg. 12, Škof. List, 1904. — ²⁾ Ibid. pg. 12 sqq., 160 sqq. — ³⁾ Ibid. pg. 15—20. — ⁴⁾ Ibid. pg. 28 sqq. — ⁵⁾ Ibid. pg. 27 sqq. — ⁶⁾ Ibid. pg. 31. — ⁷⁾ Ibid. pg. 37 sqq. — ⁸⁾ Ibid. pg. 42 sqq. — ⁹⁾ Ibid. pg. 45 sqq., 85 sqq. — ¹⁰⁾ Ibid. pg. 54 sqq.

At non solummodo coram tabernaculo populus frequens congregari solet, sed ad mensam quoque Dominicam maiorem in dies numero accedere assuetus est.¹⁾ De tali populo, qui amore SS. Cordis Jesu flagrat, quique omnes iniurias Jesu in ss. Sacramento illatas tam libenter expiare conatur, de tali populo desperandum non est, licet multae adhuc perversiones in illo, praecipue in iuventute inveniantur.

De propagatione tertii ordinis S. Francisci, de missiōnibus, de cura pro agricolis, pro operariis, pro famulabus,²⁾ pro discipulis et adiutoribus opificum,³⁾ pro emigrantibus⁴⁾ tacebo; at de cura Vestra ad propagandos bonas ephemerides, bonos libros, arcendosque malos, quorum numerus in dies crescit, tacere non possum. Immo summa laude prosequor sacerdotes, qui in societate typographica cooperantur, qui varia folia et diaria scribunt et edunt, quique illa ad populum deferunt bibliothecasque populares erigunt.⁵⁾ Unde nobis, quaeso, nostrae ephemerides, unde folia scientifica, belletristica, paedagogica, quaeque pietati et musicae atque arti fovendae inserviunt? Unde, nisi e manibus nostrorum sacerdotum?

In vita quoque politica et sociali multum desudabatis multaque sacrificia offerebatis.⁶⁾ Cum in nostro imperio omnia ferverent, cumque constitutionalismus intrinseca necessitate evolui debuerit eum in statum, quo omni populo ius suffragii aequale atque universale conceditur. Vos cognito signo temporis simul cum populo ius tale postulabatis atque ad illud obtinendum multum contulistis.

Qua agendi ratione populum a duplice praeservantis periculo. Primo sacerdoti, qui cum populo sentit, cum illo vivit, eiusque iura defendit, ille magna cum confidentia magnoque amore adhaeret; unde factum est, ut inimici ecclesiae, qui populum ab Ecclesia, immo a Christo avertere conantur, confusi finem satanicum assequi minime potuerint. Secundo a falsis, nec non atheisticis principiis, quibus constitutiona-

¹⁾ Ibid. pg. 50 sqq. — ²⁾ Ibid. pg. 76 sqq. — ³⁾ Ibid. pg. 30. —

⁴⁾ Ibid. pg. 98 sqq. — ⁵⁾ Ibid. pg. 101 sqq. — ⁶⁾ Ibid. pg. 114 sqq., 165 sqq.

lismus superstructus est, scilicet a principiis de suprematia populi, ac si populus eiusque voluntas excluso Deo fons esset cuiuslibet iuris et auctoritatis, populum omnino praeservastis.¹⁾

Ad faustum initium felicemque finem tertii Congressus catholici quam plurimum Vos contulistis;²⁾ immo absque co-operatione Vestra Congressus fructum nullum protulisset. Vestra enim cura et opera resolutiones executioni mandantur in diesque magis perficitur organisatio praecipue agricolarum, sed etiam opificum.³⁾ Magnis encomiis extollimus conamina, quibus agricultae in »unionem agricultarum« eum in finem coniunguntur, ut uniti ad instar phalanxis preeprimis tempore electionis inimicos Ecclesiae et Christi repellant prosternantque. Utinam parochia nulla iuveniatur, in qua haec unio erecta nondum sit!⁴⁾

Et quid de vita cleri dicendum est? Deo gratias, quod bona conscientia nunc affirmare possimus, scandala graviora rariSSima fuisse, licet non defuerint omnino. Summopere autem de omnimoda apostasia iunioris sacerdotis doleo, eumque orationibus vestris commendo, ut Deus illius misereatur, gratiamque conversionis conferre illi non recuset.

Exceptis his rarissimis scandalis persuasus sum, sacerdotes omnes in via virtutis, in vita vere sacerdotali in dies maiores fecisse progressus. Quae persuasio magno numero eorum sacerdotum confirmatur, qui ad exercitia spiritualia⁵⁾ quotannis advolant. Possumne affirmare, neminem Vestrum exercitia spiritualia ultra triennium distulisse?

Insuper audio, sacerdotes nostros a confessione frequiore non abhorrere, illamque ultra mensem vix umquam differre. Tam frequens usus huius Sacramenti magno me solatio afficit, firmatque in persuasione, sacerdotes nostros revera coelibem agere vitam domosque eorum esse locum, ubi pudicitia et castitas virginalis vigent florentque.⁶⁾

Conferentiae quoque pastorales,⁷⁾ quae quotannis semel, nec non conferentiae »Sodalitatis«,⁸⁾ quae in singulis deca-

¹⁾ Ibid. pg. 125. — ²⁾ Ibid. pg. 126. — ³⁾ Ibid. pg. 90 sqq. —

⁴⁾ Ibid. pg. 165 sqq. — ⁵⁾ Ibid. pg. 136 sqq. — ⁶⁾ Ibid. pg. 140 sqq. —

⁷⁾ Ibid. pg. 189 sqq. — ⁸⁾ Ibid. pg. 193 sqq.

natibus fere quolibet mense celebrantur, laudem sacerdotum nostrae dioecesis praedicant. Conferentiae enim demonstrant, pernecessarium studium litterarum a Vobis non negligi, sed foveri,¹⁾ unitatem quoque et amorem fraternalum inter vos adesse, magisque in dies inflammari. Utinam discordiae et rixae a nobis omnino exularent, vel si forsitan exortae sunt, statim componerentur!²⁾

Quibus omnibus vel obiter perpensis gaudere debemus de optima fama, qua clerus Labacensis longe lateque gaudet, immo exultare eo quod iste clerus talem famam vita sua sibi bene promeruit.

2.

Talem profectum in tota dioecesi laeto observabam animo, cum decurrente hoc quinquennio nostram dioecesim secunda vice perlustrarem. At in hoc itinere, episcopis ab Ecclesia iniuncto, ad alias quoque obligationes nostri cleri curati attentionem meam convertebam.

Visitationi enim aedificia ecclesiastica subiiciebam, praecipue ecclesias cum omni apparatu intrinseco; in ordinem cultus divini inquirebam; de cura quoque pro aedituis, pro organoedis, pro cantu ecclesiastico et musica sacra sciscitabar; de administratione bonorum ecclesiasticorum, de negotiis cancellariae, de archivio notitiam accuratam scientiamque certam procurare mihi contendebam.

Prae omnibus vero mores populi cognoscere satagebam. Persaepe enim querelas pastorum audivi de iuvenibus, qui non obstante magna cura ad vitam vere christianam, ad frequentiorem usum Sacramentorum, ad congregaciones pias raro attrahi, a sociis vero pravis, praecipue a peccatis luxuriae difficillime abstrahi possint; querelas quoque de puellis audivi, e quibus multae instabiles atque ad aures miseris seductoribus praebendas tam pronae sint ut, licet per Congregationes Marianas peccata externa multum imminuta sint, peccata tamen occulta et intrinseca frequenter adhuc occurrant. Quare

¹⁾ Ibid. pg. 148 sqq. — ²⁾ Ibid. pg. 199 sqq.

peragendo dioecesim in causas malorum inquirere, easque cognoscere et cognitis remedia offerre conabar.

Cum varios invenerim defectus sive in peragendis negotiis cancellariae, sive in administratione bonorum ecclesiasticorum, sive in aedificiis ecclesiasticis, praeprimis in constructione altarium, in constructione et dispositione scannorum et confessionalium, cognovi simul illos defectus a priore aetate ad nos pervenisse, sublatos autem nondum fuisse ob defectus in praeparandis iunioribus sacerdotibus, ut ad negotia recensita bene et legitime peragenda omnino idonei redderentur.

Quod vero ordinem cultus divini, conciones et catecheses attinet, incertitudinem magnam provenire compertus sum ex defectu sufficientis instructionis dioecesanae, quae indigentiis nostrae aetatis accomodata esset.

Causas vero querelarum de mutabilitate, immo de frequentiore perversione iuventutis, praecipue iuvenum invenisse me puto primo in ignorantia atque incuria parentum, quibus onus educandae prolii inde a conceptione incumbit, deinde in institutione haud praecisa, haud sufficienti, haud accurata iuvenum et puellarum, postquam ad annos pubertatis pvernerunt atque de ineundo matrimonio deliberare incipiunt.

Cognitio defectuum et malorum, quae breviter exposui, lux et dux mihi erat in seligenda materia pro secunda Synodo dioecesana. Quaestiones permulta, licet non omnes, in annualibus conferentiis decanorum, aliae in conferentiis pastoralibus pertractatae fuerunt. Rev. decani sciunt, referentes a me selectos ad quaestiones prolixe et solide respondisse discussionesque desuper hinc inde satis efferbuisse.

Informatione tali modo obtenta materiam in formam synodalem redegi, redactam tum Capitulo nostro, tum delectis a me referentibus et praesidentibus congregationum Synodi particularium in manus dedi, Vos vero, dilecti in Christo fratres in cooperatores in vinea Domini nunc invito, ut in congregationibus particularibus duce referente et praeside sententiam Vestram desuper libere pandatis.

Scio autem et Vos quoque scire oportet, unanimem consensum de variis consiliis et mandatis et praecepsis esse impossibilem, cum ex una parte quot capita tot quoque sententiae sint, ex altera autem parte pro natura nostra usui et consuetudini adamatae tam fortiter adhaerere soleamus, ut qualibet opinione contraria, quolibet mandato et pracepto consuetudini nostrae non conformi statim ad criticam, ad oppositionem, ad murmurationem, imo ad iram provocemur. At licet omnes nos tali natura donati simus, magnis tamen virtutibus nostri cleri cognitis nihilominus firmiter spero fore, ut clerus noster, postquam in discussione de variis capitibus omni libertate usus fuerit, decisionem meam quiete expectet paratus in omni agendi ratione deposita sententia propria constitutionibus synodalibus semet conformare.

Insuper rogo Vos, ut querelas omnes de aliis quoque rebus, quibus quasi gravi onere cor unius vel alterius forsitan comprimitur, per procuratores cleri mihi notas facere velitis. Procuratores cleri autem rogo, ut querelas scripto consignatas mihi committant; paratus enim sum adhuc decursu Synodi ad singulas respondere. Si vero procuratores cleri, vel Vos hic congregati praefertis, ut procurator cleri vel alius sacerdos a Vobis electus querelas hic loci alta voce lingua latina vel vernacula proferat, ego hunc modum minime reprobo, sed libertissime admitto.

3.

Cum vero sancta Mater Ecclesia sciatur, naturam nostram labilem esse atque ad malum pronam, propterea episcopis iniunxit, ut cum Synodo dioecesana exercitia quoque spiritualia coniungantur. Nam tantummodo ille clerus, qui spiritu renovatus ad propria revertitur, pronus erit atque idoneus renovare quoque fideles curae suae commissos, prouti Synodus intendit.

Quis Vestrum, qui in Synodo nostra prima partes habuistis, non meminerit sermonum, quibus reverendus senex P. Nilles S. J. ad disciplinam servandam moresque reformatos omnes nos excitabat? quis oblivioni dare potuerit pulcherrimum

sermonem de sanctissimo Corde Jesu? Hic senex venerabilis nunc vita functus in coelis de illa corona gaudet, quam iustus iudex super caput illi posuit.

Hodie vero qua rectorem exercitiorum rev. P. Augustinum Rösler C. Ss. R. Vobis hic praesento. Valde gaudeo, meas preces, quibus hunc Patrem desiderabam, a Superioribus exauditas fuisse. Cognovi nimirum, Patrem Rösler a sacerdotibus qua rectorem exercitiorum valde exoptatum esse; insuper scio, fructum exercitiorum immo totius Synodi de rectore multum dependere. Revera, nos quidem cooperari, materias a rectore propositas meditatione digerere nostramque facere atque multum orare debemus, at rectoris est, nos ad deponendam somnolentiam, ad attentionem spiritus, ad meditationem necessariam atque orationem excitare.

Quapropter, fratres dilecti et cooperatores mei instanter, instantius et instantissime Vos rogo, ut sermones sacros attente audire sibique applicare contendatis; rogo vos, ut orationi incumbatis, conscientiam discutiatis nec non bona confessione generali inde ab ultimis exercitiis peracta ad communionem generalem feria VI. laeti plenique Spiritu Sancto advoletis.

Tunc Summus Sacerdos Jesus Christus consecrationem nostri divino Cordi Eiusdem faciendam libentissime recipiet nobisque gratias omnes in cura animarum necessarias, imprimis magnum donum perseverantiae abundanter tribuet.

Nunc vero, o sancti patroni et sancti angeli custodes nostri, o sancte Joseph, patronus nostrarae dioecesis, o sancte Nicolae, titularis huius ecclesiae cathedralis, o sancta Maria, Virgo et Mater Dei, sedes sapientiae, mater boni consilii, intercedite pro nobis omnibus ad divinum Cor Jesu, ut misertus nostri illum in nobis ignem accendat, quem in terram mittere venit, ut hoc igne inflammati in hac Synodo nihil aliud intendamus, quam gloriam Dei et salutem animarum. Amen.

Oratione terminata iam ad negotia sua expedienda agreditur Synodus. Ex ordine pronuntiati sunt primo *officiales Synodi*:

Promotor Synodi: Joannes Sajovic, Praepositus Capit. eccl. cathedr.;

Substitutus promotoris Synodi: Dr. Sebastianus Elbert, Praepositus Capituli Coll. Rudolfsw.;

Secretarius Synodi: Andreas Kalan, S. S. Praelatus, Canonic. eccl. cathedr.;

Lector Synodi: Josephus Potokar, Vicarius ad eccl. cathedr.;

Notarius Synodi: Dr. Franciscus Ušeničnik, Rector Coll. Sti Stanislai;

Magister caeremoniarum: Josephus Erker, canonicus eccl. cathedr.;

Procuratores Cleri: Josephus Šiška, Canonicus eccl. cathedr., Michael Trček, Decanus in Šmarje, Matthaeus Rihar, Decanus in Šmartin pri Litiji;

Directores cantus: Hugolinus Sattner, O. S. Fr., Definitor, Administrat. paroch.; Franciscus Ferjančič, Vicedirect. Semin. cleric.; Stanislaus Premerl, praef. Colleg. Aloisiani;

Praefecti hospitiorum: Dr. Joseph Lesar, Canon. honor., Director Semin. Cleric., Prof. theolog.; Dr. Andreas Karlin, Canon. eccl. cathedr., Director Semin. puer.; Franciscus Ferjančič, Vicedirect. Semin. cler.;

Director exercitiorum: Augustinus Rösler, C. SS. R.;

Judices querelarum: Joannes Sušnik, Antonius Fettich-Frankheim, Josephus Šiška, Canonicus eccl. cathedr.;

Ostiarii: Vicarii ad eccl. cathedr.;

Confessarii: a) ex Ord. FF. Min. S. Francisci: P. Placidus Fabiani, Minist. Prov.; PP.: Raynerius Kokalj, Gulielmus Vindišar, Angelus Mlejnik, Matthaeus Vidmar; b) e Societate Jesu: PP. Carolus Hajek, Jacobus Verhovec, Joannes Kunstelj, Josephus Zen-Ruffinen; c) e Congreg. Mission. S. Vincentia P.: DD. Franciscus Javšovec, Carolus Heidrich, Franciscus Kitak, Urbanus Nežmah; d) e Congreg. SS. Redemptoris: P. Augustinus Rösler.

Pronuntiatis officialibus Synodi, Reverendissimus Praesul rogatu Promotoris iussit Secretarium summam proponere res pertractandas.

Conspectus materiae.

Titulus I.

Cap. I. De ecclesia ut aedificio:

- § 1. de ipso aedificio,
- § 2. de sacristia,
- § 3. de obiectis in ecclesia,
- § 4. de ordine quoad sedilia,
- § 5. de colenda arte ecclesiastica,
- § 6. de museo dioecesano.

Cap. II. De cultu divino publico:

- § 1. de ordine cultus divini,
- § 2. de organoedo et aedituo,
- § 3. de cantu ecclesiastico et musica sacra.

Cap. III. De doctrina christiana:

- § 1. de institutione doctrinae christiana in genere,
- § 2. de institutione doctrinae christiana in specie:
 - 1. de educatione infantium,
 - 2. de institutione puberum,
 - 3. de instructione sponsorum.

Titulus II.

Cap. I. De bonis ecclesiasticis eorumque administratione:

- § 1. de iuribus ecclesiae circa bona temporalia,
- § 2. de administratione bonorum ecclesiasticorum.

Cap. II. De negotiis cancellariae:

- § 1. de commercio cum officiis,
- § 2. de libris ecclesiasticis,
- § 3. de tabulario,
- § 4. de instruendis cooperatoribus.

Petuit exin Promotor, ut designarentur coetus particulares, *Sectiones*, quarum esset recognoscere res Synodo propositas.

Sectiones.

Sectio I.

Titulus II., cap. II.: de negotiis cancellariae.

Praeses: *canonicus Šiška*; referens: *decanus Lavrenčič*. Locus: *aula St. Josephi in seminario clericali*. Ad consilia invitantur: *Sacerdotes archidiaconatus Labacensis*.

Sectio II.

Titulus II., cap. I.: de administratione bonorum ecclesiasticorum.

Praeses: *canonicus Sušnik*; referens: *decanus Bizjan*. Locus: *bibliotheca seminarii clericalis*. Ad consilia invitantur: *Sacerdotes Carnioliae centralis*.

Sectio III.

Titulus I., cap. II.: de cultu divino publico.

Praeses: *canonicus Karlin*; referens: *decanus Novak*. Locus: *refectorium in collegio Aloisiano*. Ad consilia invitantur: *Sacerdotes archidiaconatus Carnioliae inferioris*.

Sectio IV.

Titulus I., cap. III.: de doctrina christiana.

Praeses: *praelatus Flis*; referens: *parochus Joannes Zabukovec*. Locus: *aula maior in palatio episcopali*. Ad consilia invitantur: *Sacerdotes Carnioliae interioris et superioris*.

Adnotationes.

1. *Congregationes particulares* habeantur a hora undecima antemeridiana usque ad prandium hora $12\frac{1}{2}$; deinde a hora 2. postmeridiana usque ad horam $3\frac{1}{2}$.

2. a) *materia Sectionis I.* pertractabitur in congregazione generali II., feria III., post meridiem;
- b) *materia Sectionis II.* in sessione publica II., feria IV., mane;
- c) *materia Sectionis III.* in congregazione generali III., feria IV. post meridiem;
- d) *materia Sectionis IV.* in congregazione IV. et V., feria V., mane et postmeridiem.

Postquam Illustrissimus Antistes accurate exposuit, quo modo in coetibus particularibus esset agendum, ut fructus caperetur uberior neve tempus frustra tereretur: institit Promotor, ut pronuntiaret Secretarius *Examinatores ordinandorum.*

Examinatores ordinandorum.

Praeses: *Joannes Flis*, S. S. Praelatus, Vicarius generalis;

Consultores: *Joannes Sušnik*, canon. eccl. cathedr.;

Dr. Josephus Lesar, canon. honor., prof. theolog.;

Dr. Franciscus Ušeničnik, Rector Coll. Sti Stanislai;

Dr. Josephus Gruden, prof. theolog.;

Aloisius Stroj, praef. spiritual. Semin. Cler.

Propositi sunt deinde *Examinatores promovendorum ad beneficia curata*, ut ex decreto Conc. Tridentini¹⁾ a Synodo probarentur. Quo facilius fieret electio, distribuit Secretarius schedulas, in quibus scripta erant nomina duodecim virorum, qui ad id munus apti essent.

Tum Celsissimus Princeps-Episcopus invitavit congregatos, ut obsequium et pietatem erga Augustissimum Imperatorem Franciscum Josephum I et Illustrissimum Metropolitam Goritiensem per telegrammata testificantur; alacri animo respondit votis Reverendissimi Pastoris celeber conventus. — Telegrammatum autem haec sunt verba:

¹⁾ Sess. XXIV, Decret. de reform., cap. 18.

*An Seine k. u. k. Apostolische Majestät Franz
Joseph I.
Ischl.*

Dreiundfünfzig auf der zweiten Laibacher Diözesansynode versammelte Priester der Diözese Laibach bringen Ihrem Jubelkaiser begeistert ihre Huldigung dar und flehen zu Gott um überreichen Segen und um außerordentliche Hülfe, welche der gütige Gott Eurer Majestät bei der Regierung des großen und herrlichen Österreich gewähren möge.

*Dr. Anton Bonaventura Jeglič
Fürstbischof.*

*Celsissimo Domino Francisco Sedej, Archiepiscopo
Goritiae.*

*Clerus dioecesis Labacensis congregatus in se-
cunda Synodo dioecesana sensus profundae reverentiae
erga suum metropolitam cum ferventi prece ad Deum
manifestat, ut metropolitam Goritiensem diu adhuc sal-
vum sospitemque conservare dignetur.*

*† Antonius Bonaventura
episcopus.*

Ad telegramma missum Suae Majestati Imperatori Francisco Josepho I. redditum est die 25. Augusti responsum his verbis conscriptum:

*An Seine Fürstbischöfliche Gnaden Dr. Anton
Jeglič, Fürstbischof*

Bad Ischl. in Laibach.

*Seine k. u. k. Apost. Majestät haben die Huldigung
der auf der zweiten Diözesansynode versammelten Geist-
lichkeit allergnädigst zur Kenntnis genommen und danken
huldvollst für diese Loyalitätskundgebung.*

*Kabinetskanzlei
Sr. k. u. k. Apost. Majestät.*

Reverendissimus Metropolita respondit die 25. Augusti per telegraphum:

Valde commotus homagiis votisque a secunda Synodo Labacensi mihi expressis exopto et precor, ut copiosa benedictio descendat super Praesidem singulaque membra Synodi; eius deliberata cedant in laudem Dei salutemque almae istius dioecesis.

*+ Franciscus Borgia
metropolita.*

Maximo gaudio affecti sunt omnes congregati sacerdotes, cum audissent a Reverendissimo Praesule, Summum Pontificem impertivisse Synodo Apostolicam Benedictionem et hac occasione misisse ad Episcopum Oratorem literas *sua manus* scriptas. Quam ob rem curae fuit Illustrissimo Antistiti, ut conscriberentur litterae, in quibus multis et amplissimis verbis Synodus secunda Labacensis maximas gratias agit Summo Pontifici quum pro accepto beneficio Apostolicae Benedictionis tum pro Encyclica, qua errores Modernistarum damnati sunt. In litteris haec sunt scripta:

Beatissime Pater!

Ecclesiae votis obsequens obtemperansque mandato Ordinarii clerus dioecesis Labacensis in secundam iam post quinque annos his diebus convenit synodum, ut quomodo quam optime animarum consuleretur ac prospiceretur utilitati et saluti, cum Episcopo suo collatis consiliis deliberaret, ne pro parte sua illud negligeret, quod Sanctitas Tua pro tota sibi proposuit Ecclesia: omnia instaurare in Christo. Grave sane munus, arduum opus, licet ex parte tantum nobis propositum. Quod tamen ut lubenti animo ac sine timore susciperemus, ecce nobis, litterae Tuae, ecce desideratissimus et exoptatissimus nuntius, Sanctitatem Tuam apostolicam nobis voluisse impetrare benedictionem, quae divinum nobis auspicaret affuturum numen divinamque opem. Quo certe nihil nobis laetus obvenire potuit, nihil iucundius. Enimvero persuasissimum fide habemus, nos nihil posse sine gratia divina facere nihilque cogitare ex nobis quasi ex nobis, omneque datum

optimum et omne donum perfectum desursum esse, descendens a Patre luminum. Immo si quando unquam, nunc opus maxime est sacerdotibus divino robore. Sunt enim tempora luctuosa nefastaque, Ecclesiae iniqua, inimica ipsi Deo. Ingenia proterva cuiusque potestatis impatientia, mentes rerum fluxarum cupidae, aeternarum obliviousae; nihil sanctum inviolatumque, permissa cuilibet loquendi scribendique effreni non libertate, sed licentia; neque primis naturae veritatibus parcitur, verum obducta sensim tenebris veritate, opinionum commenta atque mendacia progredientis doctrinae specie celebrantur ac disseminantur. Crevit profecto »postrema hac aetate inimicorum crucis Christi numerus, qui artibus omnino novis astuque plenis vitalem Ecclesiae vim illidere ipsumque, si queant, Cristi regnum evertere funditus nituntur.« Et proh dolor! quod longe miserabilius, errorum fautores iam non inter apertos hostes quaerendi sunt modo, verum in ipso latent sinu gremioque Ecclesiae. Sunt ex ipso sacerdotum coetu, modernistae suo nomine appellantur, qui venenatis imbuti penitus doctrinis quidquid sanctius est in Christi opere impetunt, ipsa haud incolumi divini Reparatoris persona, quam ausu sacrilego ad purum putumque hominem extenuant; eo nocentiores, quo minus perspicui; mille enim nocendi artes dum adhibent, nihil illis callidius, nihil insidiosius, ut incautum quemque facile in errorem pertrahant.

Beatissime Pater, gratiae igitur Tibi quam maximaee pro apostolica benedictione! Hanc vero occasionem nacti laeto animo arripimus, ut singularibus verbis gratias simul agamus pro Litteris Encyclicis, quibus Sanctitas Tua modernistarum callidissima artificia detexit, superbos spiritus repressit, perniciosos errores profligavit ac damnavit. Non quod fidem umquam modernistis habuerimus — tantum abest, ut fidenter testificemur longe nos semper afuisse ab iis erroribus, quos haeresium conlectum recte Sanctitas Tua denotavit — sed quia damnatio errorum vere erat animorum liberatio. Nempe, quamvis modernismi errores damnaverimus semper, non tamen dicere ausimus, nulla in animis malum redundans impressisse vestigia. Moestitia quaedam nonnullorum animos occupavit, cum austerioribus coloribus omnia in Ecclesia depingerent modernistae omniaque reformanda clamarent; timores quidam, cum dictitarent multorum fidem languescere totque eruditos deficere a fide, quod in ve-

ritate defendenda non ea utamur methodo, quae mentibus nostrae aetatis magis sit adaptata; incertitudo quaedam, quaedam titubatio, cum rationalistas et catholicos promiscue agentes, simulatissime de sacris libris deque evolutione dogmatum dissererent. Quae quanto essent occultiora, tanto potuissent in animis maiora producere damna. At in tempore cum res urgebat, Roma locuta est: fiat lux! Et facta est lux. Nebulae delapsae sunt, errores dissipati, depulsi timores, dubitatio sublata, fides roborata, mentes erectae — veritas liberavit nos! Iam labor iucundus, iam laeta commodi iactura. Lubentes laborabimus, fortes militabimus, fidentes pugnabimus proelia Domini. Deo gratia et Tibi, Beatissime Pater!

Gratiarum actionibus faustitatis vota iungentes, appetente sacerdotii Beatitudinis Tuae natali quinquagesimo, milites Christi, Tibi vicario eius renovamus sacramentum: »amantissimos Ecclesiae filios nos et esse et videre velle; quae res nequeant cum hac laude consistere, eas nos sine cunctatione respuere; praescripta Sedis Apostolicae legem vitae singulos putare atque Episcopis obtemperare, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei.« (Encycl. Immortale Dei.) Quod defensio catholici nominis postulat, ut in profitendis doctrinis, quae ab Ecclesia traduntur, una sit omnium sententia et summa constantia, fideliter servabimus idque cavebimus, »ne quis opinionibus falsis aut ullo modo conniveat aut mollius resistat, quam veritas patiatur«, haud immemores monitorum Beatitudinis Tuae, nullum esse indicium manifestius, quod quis modernismi doctrinis favere incipiat, quam cum incipit ecclesiastici magisterii auctoritatem minuere atque infirmare, traditionis vim et naturam pervertere, philosophiam scholasticam, eam praeципue, que a sancto Thoma Aquinate est tradita, horrere atque spernere; praesertim vero, nullam esse breviorem et expeditiorem ad modernismi errores viam, quam superbiā.

Beatissime Pater! Hoc Tibi a nobis in quinquagesimo sacerdotii Tui natali pulcherrimum acceptissimumque futurum esse munus, in praecolla nuper ad nos scripsisti exhortatione, si ita ut homines Dei nos probemus, ut in nos tamquam in speculum plebs christiana coniuciens oculos sumere possit, quod imitetur. Quod sane ut fiat omnibus viribus contendemus. Nulla mora

est. Enitemur equidem, ut veram nobis comparemus vitae sanctimoniam. Nam ut Beatitudo Tua instanter nos monet, unum est, quod hominem cum Deo coniungit, unum quod gratum efficit, vitae morumque sanctimonia. Optatis annuat Deus, cuius numinis auxiliique auspex nobis sit benedictio Beatitudinis Tuae.

Accipe igitur, Beatissime Pater, gratias nostras, accipe congratulationes nostras, accipe obsequii nostri fidelia vota! Iugis nobis erit adprecatio ad Deum pro Summo Pontifice, ut Dominus conservet eum et vivificet eum et beatum faciat eum in terra et non tradat eum in animam inimicorum eius. Hoc nobis propositum, haec nobis sententia: Prope Romam semper.

Datum Labaci ex Ecclesia cathedrali Sti Nicolai congregata synodo II. dioec. Labacensis, die 24. Augusti Sto Bartholomaeo sacra, A. D. 1908.

Rescripsit ad litteras Eminentissimus Dom. Raphael Card. Merry del Val, Status Secretarius:

*Secretaria di Stato
di Sua Santita.* Dal Vaticano III. Septembris 1908.

No. 31.944.

Illme ac Revme Domine!

In media Synodo peropportunum ac praeclarum accidit ut humanissimis datis litteris tu ac sacerdotes tui Summo Pontifici sensus fidelis pietatis vestrae exprimeretis. Quod officium pergratum iucunditatisque plenum Ei fuit. Laetatus igitur ex animo precatur, ut lumen viresque initis consilii et sanctis propositis perficiendis addat Deus. Simul effusae benevolentiae pignus benedictionem apostolicam peramanter tibi omnibusque sacerdotibus, qui in Synodus convenerunt, impertit.

Hanc occasionem libenter ego nanciscor ut studium meum confirmem quo sum

Tibi

Rmo Antonio Jeglič
Episcopo Labacensium Nauportum. Addictissimus
R. Card. Merry del Val.

Cum paelectae essent litterae mittendae ad Summum Pontificem, indicta est ad horam septimam matutinam posteri diei Sessio prima publica; Reverendissimus Episcopus recitavit orationes ad terminandam Congregationem praescriptas et dimisit conventum.

III.

Acta primae Sessionis publicae.

Feria III. post Dominicam XI. a Penteste, a. d. VIII Kalendas Septembres, instante hora septima matutina Synodales denuo convenerunt in ecclesiam cathedralem Sti Nicolai ad habendam primam Sessionem publicam. Reverendissimus Antistes celebravit sollemnem *Missam votivam de Spiritu Sancto*. Post Missam peracta sunt omnia, quae Ordo Synodi praescribit; quo facto R. P. Augustinus Rösler, C. SS. R., habuit primam orationem.¹⁾

»Non dedit nobis Dominus spiritum timoris sed virtutis.« II. Tim. 1, 7.

Fortes in fide.

Introductio. Gedeon et viri eius trecenti in valle Jesreel confortantur omnibus formidulosis et timidis remotis. »In trecentis viris, qui lambuerunt aquas, liberabo vos« inquit Dominus. (Jud. c. 7.)

In Synodo dioecesana sacerdotes congregatos cum episcopo suo licet comparare viris illis trecentis, qui Gedeone duce ab ipso Domino ad pugnam et victoriam confortantur. Nulla enim re hodie sacerdos magis indiget quam animo forti. Decet igitur resuscitare gratiam virtutis impositione manuum acceptam dicente apostolo: »Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis« (II. Tim. 1, 7.) Quae fortitudo animi primo apparere debet in fide. Fides vero illa sit oportet: *a) catholica, b) viva, c) quaerens intellectum.*

a) Fidem catholicam professuri et praedicaturi hodie singulari fortitudine imbuti debemus esse. Impugnatur enim

• 1) *Meditationes* R. P. Director exercitiorum spiritualium ipse scripto mandavit.

fides nostris diebus gravissime ab hostibus *externis*, qui fidem supernaturalem omnino extinguere student.

Impugnatur fides deinde ab hostibus *internis*, a sacerdotibus scil. quibusdam, qui fidei dogmata singula enervare et opinionibus novis immutare non abhorrent.

Contra quos teneamus necesse est fidem, quam summus pontifex et episcopi in orbe catholico docent et confitentur unanimes. Absit igitur a nobis separare, quae Christus Dominus ipse coniunxit, i. e. fidem christianam et fidem catholicam. Christianus mihi nomen, catholicus cognomen, cum S. Paciano profitendum est. Haud licet seposita catholica professione profiteri christianam fidem, quasi revera diversae sint istae duae fides christiana et fides catholica.

b) Quae fides catholica in ipsis cordibus nostris vivens et vigens in dies magis crescat oportet. Mortuam fidem etiam daemones tremendo profitentur. Apostolo docente fides ista viva virtus est, qua vivamus ac moriamur. Singulari modo vivam fidem Nostram manifestemus:

1. In dignitate sacerdotali memores rationis, quae nobis danda sit. Considerantes dignitatem hanc nostram et viva fide manifestantes fieri non potest, quin fortibus animis de hostibus ecclesiae victoriam reportemus. Nominamur enim et sumus »coadiutores Dei«, dispensatores mysteriorum Dei, reconciliatores inter Deum et homines, legati Christi, pastores gregis Dominici, denique sal terrae et lux mundi.

2. Viva nostra fides deinde singulariter apparere debet in cultu eucharistico. Quo magis sacerdos fide vera erga Jesus in sacramento altaris praesentem imbutus est, eo felicior ipse vivit eoque maiore zelo curam animarum fovebit.

3. Accedit ut fidem vivam ostendamus in pietate filiali erga vicarium Christi in cathedra Petri docentem. Christus enim Dominus per Petrum infallibili magisterio ecclesiam docens complet quasi, quae in praesentia eucharistica desiderantur. In sanctissimo sacramento tacens adest Dominus; haud raro autem cogimur dicere: Loquere Domine; respondet nobis per magisterium vivum ecclesiae, quod instituit dicens:

»Qui vos audit, me audit.« Quod Christi magisterium infallibilate summi pontificis coronatur.

c) Fides nostra viva necessario quaerit intellectum. Obscuritatem enim doctrinae fidei non sustinemus nisi sperantes fore, ut S. Pauli verbum impleatur: »Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem« (Cor. 13, 12). Quo certior persuasio nostra hac de re est, eo magis cum apostolo desideramus dissolvi et esse cum Christo. Inflammatur autem istud desiderium consideratione doctrinae fidei et studio. Inde inter studia litterarum sacerdotis primum locum tenere debet cognitio dogmatum fidei in dies magis crescens.

Fide igitur catholica, viva, intellectum quaerente imbuti vestigia apostoli premamus viventes nec non morientes. Vivenus apostolus munere suo functus est, dicens: Scio, cui credidi! Morienti autem licebat asserere: Bonum certamen certavi, fidem servavi. Studeamus, ut nobis quoque liceat idem asserere.

Post piam meditationem postulavit Promotor, ut publicarentur decreta de *aperienda Synodo* et de *emittenda professione fidei*. Quo facto omnes professi sunt fidem iuxta formam Tridentino-Vaticanicam et sub finem iusiurandum dederunt coram Reverendissimo Episcopo. Exinde praelegit Secretarius decreta de *praeiudicio non afferendo, de modo vivendi in Synodo, de non discedendo*.

Ex ordine debuerunt pronuntiari examinatores promovendorum ad beneficia curata: cum verum Synodales de viris eligendis ad hoc munus non plene consentirent, rogavit Procurator Cleri, D. Josephus Šiška, Canon. eccl. cathedr., ut permissu Illustrissimi Praesidis denuo ferrent suffragium. Reverendissimus Praesul lubenter indulxit desiderio Synodi; tum ascendit ambonem et breviter astrinxit argumenta Tituli I., cap I. Constitutionum Synodalium: *de ecclesia ut aedificio*. Indicta Congregatione secunda generali in horam quartam pomeridianam terminata est sollempni benedictione prima sessio publica.

IV.

Acta secundae Congregationis generalis.

Eodem die, quo mane prima Sessio publica celebrata est, hora quarta pomeridiana convenerunt Synodales ad Congregationem generalem secundam. Recitatis Vesperis cum Completorio et dictis solitis precibus ante Congregationem inchoandam, Director exercitorum spiritualium secundam habuit orationem.

Fortitudo in vita sacerdotali demonstranda.

Venerabilis ille Thomas Kempensis sacerdotes ita allocutus est: »Non allevasti onus tuum, sed arctiore vinculo alligaris disciplinae et ad maiorem teneris perfectionis sanctitatem. (Imit. Christi IV, 5.) In alto loco supra communes hominum vias elatus sacerdos viam perfectionis incedere debet. Forti igitur animo ad talem vitam degendam affectus sit oportet. Vita enim illa alta sacerdotalis necessario est: 1. solitaria, 2. aspera, 3. spiritualis.

1. *Vita solitaria sacerdotis.* Angustis familiae vinculis cor sacerdotis non coarctatur, quoniam cura familiae Dei sacerdoti imposta est. Monente Domino: »Qui patrem et matrem plus amat quam me, non est me dignus« sacerdos renuntiat familiae suae nec familiam novam condit coelibem vitam eligendo. Nec tamen ipsi dictum est illud »Vae soli«. Nunquam enim solus est sacerdos, cui cum apostolo dicere licet: Vivo ego, iam non ego; vivit in me Christus. Dulcissimo et castissimo coniugio cum Christo unitus omni matrimonio laetiorem vitam degit. Quod ut fiat, necesse est ut fortiter resistat temptationibus contra castitatem sacerdotalem imprimis nostro tempore, quo castam ac coelibem vitam animales homines impossibilem esse proclamat.

Solitaria vita sacerdotis deinde est, quia, ad munus praedicandi Christum crucifixum obligatus est. Hinc ipsi cum apostolo dicendum est: »Mundus mihi crucifixus et ego mundo.« Derelinquitur sacerdos a mundanis hominibus, qui verbum

crucis respuunt. Ipse S. Paulus iam finem vitae in carcere exspectans conqueritur: »Omnes me derelinquerunt; Lucas est mecum solus« (I. Tim. 4, 11. 16).

Inde sequitur sacerdoti dicendum esse: Deus meus et omnia! sequitur quoque, sacerdotes inter se eo fortioribus fraternali dilectionis vinculis uniri debere, quo magis ab hominibus derelinquuntur. Frater fratrem adiuvans repellit illud: »Vae soli!«

2. Vita sacerdotis dura et aspera efficitur, qua ad imitandam vitam Jesu singulariter sacerdos obligatur. Vita autem Redemptoris paupertate, mortificatione, obedientia excellebat. Spiritu paupertatis evangelicae repletus debet esse sacerdos, ut dicat cum apostolo: »Ego didici, in quibus sum, sufficiens esse. Scio et humiliari, scio et abundare; ubique et in omnibus institutus sum et satiari et esurire et abundare et penuriam pati«. (Phil. 4, 11. 12.) Sicuti deinde apostolo gloriari licebat, quod mortificationem Christi in corpore suo portaret, ita et sacerdos renuntiare debet vanis mundi oblectamentis. Obedientem denique vitam profesus est, quum interroganti episcopo: »Promittis mihi et omnibus successoribus meis reverentiam et obedientiam?« laete responderet: Promitto. Vitam talem pauperem, mortificatam, obedientem non sine magna fortitudine sacerdos sustinet. Nihilominus amor Christi crucifixi efficit, ut nemo laetior sit quam sacerdos pauper mortificationi studens.

3. Sacerdos sicut alter Moyses vocatur, ut amico ac familiari modo cum Deo de salute populi sibi commissi colloquatur. Homo spiritualis igitur sensu eminente esse debet, cui conversatio cum Deo et angelis tam facilis est quam cum hominibus. Hunc in finem ab ecclesia sacerdos impellitur ad officium divinum, quo fit, ut nunquam longo tempore a colloquio divino alienus sit. »Septies in die laudem dixi tibi.« Experientia iam discendum est sacerdoti, quam vere Spiritus s. dixerit: »Non habet amaritudinem conversatio illius.« (Sap. 8, 16.) Breviarium digne, attente, devote recitando sacerdos fortitudine et gudio afficitur ad labores superandos.

Cum officio divino coniungatur necesse est lectio spiritualis imprimis ex sacra Scriptura. Breviarium recitantes cum Deo loquimur; legentes sacram Scripturam audimus Deum loquentem nobis.

Vita tali solitaria, mortificata, spirituali sacerdos apostolum imitatur et cum eo denique laeta mente exclamat: »Mihi vivere Christus est et mori lucrum« (Phil. 1, 21). Qua laetitia mentis etiam arcetur senectutis miseria ita, ut longaevus quoque laetanter dicat: »Introibo ad altare Dei, ad Deum, qui *laetificat iuventutem meam*«.

Cum R. P. Exercitator finem dicendi fecisset, Illustrissimus Praesul uberior explicavit Constitutionum Synodalium Tit. II, cap. 2: *de negotiis cancellariae*. Posthac Procurator Cleri, invitatus a Promotore Synodi, optare Synodales dixit, ut res tractandae in Sectionibus, quo facilius intelligerentur, proponerentur in lingua vulgari. Respondit Reverendissimus Episcopus, nihil obstare, quominus fiat, quod desideretur. Dein ex ordine nominati sunt *testes synodales, iudices in partibus, officiales iudicij ecclesiastici dioecesani*.

Testes synodales:

1. *Archidiaconi*;
2. *Decani*.

Judices in partibus:

- Joannes Sajovic*, Praepos. Cap. eccl. cathedr.;
Joannes Flis, S. S. Praelatus, Vicar. gen.;
Joannes Sušnik, Canon. eccl. cathedr.;
Andreas Kalan, S. S. Praelatus dom., Canon. eccl. cathedr.;
Josephus Erker, Canon. eccl. cathedr.

Officiales iudicij ecclesiastici dioecesani:

Praeses:

Joannes Flis, S. S. Praelatus, Vicar. gen.

Consiliarii:

Joannes Sušnik, Canon. eccl. cathedr.;
Andreas Kalan, S. S. Praelatus dom., Canon. eccl. cathedr.
Dr. Andreas Karlin, Canon. eccl. cathedr.;
Msgr. Antonius Zupančič, Prof. theolog.;
Dr. Josephus Lesar, Canon. hon., Prof. theolog.;
Dr. Joannes Janežič, Prof. theolog.;
Dr. Josephus Gruden, Prof. theolog.

Omnis electi coram Episcopo iusiurandum dederunt. Postquam indicta est ad diem insequentem publica Sessio secunda et nuntiatae sunt res gerendae, Reverendissimus Praesul dictis precibus in gratiarum actionem, finem imposuit secundae Congregationi generali.

V.

Acta secundae Sessionis publicae.

Feria IV. post Dominicam XI. a Pentecoste, a. d. VII. Kalendas Septembres, hora septima mane congregati Synodales recitarunt primo horam officii tertiam, dein interfuerunt s. Missae sacrificio, quod P. T. D. Praepositus Joannes Savovic pro defuncto Jacobo Cardinali Missia, proximo decessore in sede episcopali Labacensi, et sacerdotibus defunctis post primam Synodus obtulit. Persolutis precibus ad inchoandam sessionem, P. Director exercitorum spiritualium tertiam proposuit meditationem.

Fortitudo in laboribus apostolicis demonstranda.

Monente apostolo laborare nos oportet sicut boni milites Christi. Militis labor in bello gerendo difficillimus est, neque ullus aliis labor fortitudinem maiorem requirit quam militaris. Ad militiam spiritualem adstrictus sacerdos fortitudine militem arma bellica gestantem superare debet. Quae fortitudo in laboribus sacerdotalibus manifestanda quadruplex est: 1. liber in dicendo, 2. humilis in obediendo, 3. mitis in docendo, 4. ad sacrificia paratus.

1. Redemptor voluit, ut evangelium libere praedicetur in universo mundo. Ecclesia libertate apostolica indigere nequit. Quia libertate requiritur, ut cura animarum indepenter a legibus civilibus exerceatur. Rei publicae salus hac libertate non damnum patitur, sed maxime fovetur. Nihilominus historia magistra patet inde ab initio magistratus saeculares libertatem iniuste restrinxisse. Iam apostolis cum libertate ingenua profitendum erat: »Obedire oportet Deo magis quam hominibus.« (Act. 5, 29.) Vix ulla aetas historiae ecclesiasticae invenitur, in qua non viris apostolicis dimicandum fuerit pro libertate Ecclesiae. Hinc etiam nostro tempore fortiter ac libere defendendum ius Ecclesiae est in laboribus apostolicis exantlandis.

2. Libertas haec non excludit immo supponit humilem subiectionem sub legitima autoritate ecclesiastica. Idem Dominus, qui apostolos misit ad omnes populos, voluit, ut omnes oves atque agni gregis sui pascerentur ac ducerentur ab uno pastore, i. e. a summo pontifice, qui cum episcopis constitutus est, ut Ecclesiam Dei regeret. Unde non licet sacerdotibus zelo animarum ductis pro libitu oves Christi pascere, sed canones ecclesiae in cura animarum observare. Fortitudine omni dignior et melior ista sancta obedientia est, quippe quae Christum Dominum obedientem Patri usque ad mortem imitetur.

3. Zebedai filii ferventes amore erga Dominum vituperati sunt, quia ignem de coelo petierunt, qui Samaritanos Dominum non recipientes combureret. »Nescitis cuius spiritus estis« audierunt Dominum conquerentem. Habebant zelum, sed non secundum scientiam. Postquam Spiritu s. de coelo misso novi homines transformati sunt, omnino aliter se gerabant. Didicerunt enim mites et humniles esse, et vere paterno amore repletus S. Joannes allocutus est suos: »Filioli.« Charitate patiens sacerdos etiam malevolos parodianos sustinet et sperat, dum spirant. Alienus a rudi et superba mente studet efficere, ut de semetipso dici possit illud: »Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus« (Tim. 1, 11). Quis iam dubitat, quin maxima fortitudine opus sit

ad mansuetudinem talem plane coelestem acquirendam? S. Franciscus Salesius exemplar omnibus sacerdotibus datum est.

4. Laborans sicut bonus miles Christi Iesu denique ad sacrificia paratus semper et ubique debet esse. »In hoc« inquit S. Jo. (I. ep. 3, 16), »cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit et nos *debemus* pro fratribus animas ponere.« Quod S. Joannes postulat, ut faciamus, S. Paulus gloriatur se fecisse dicens: »Sed etsi immolor supra sacrificium et obsequium fidei vestrae gaudeo et congratulor omnibus vobis.« (Phil. 2, 17.)

Sacrificare igitur debet sacerdos a) omne tempus suum die noctuque paratus ad succurrendum miseris et infirmis. Neque licet b) parcere corpori et sanitati, quoniam labores sacerdotales in confessionali, in visitandis infirmis, in pueris instruendis haud parum vires corporis absorbent. Immolare denique c) semetipsum debet cogitando et deliberando mentis et cordis viribus, quomodo fideles suos a periculis liberet eosque in viam salutis secure perducat. Totum igitur semetipsum dedicare saluti animarum sacerdotis perfecti est. Quodsi animum fortem labores fracturi sunt, recordemur S. Pauli verborum: »Itaque, fratres dilecti, stabiles estote et immobiles abundantes in opere Domini semper *scientes*, quod labor vester non est inanis in Domino.« (I. Cor. 15, 56.)

Cum R. P. orationem ad finem deduxisset, petiit Promotor, ut promulgaretur Synodalium constitutionum Tit. II. cap. 1.: *de bonis ecclesiasticis eorumque administratione*. Lector praelegit materiam designatam, quam Reverendissimus Episcopus interpretando explanavit. Hora decima matutina publica Sessio secunda sollemni benedictione terminata est.

VI.

Acta tertiae Congregationis generalis.

Hora quarta pomeridiana eiusdem feriae quartae, a. d. VII. Kalendas Septembres, incepta est Congregatio generalis

tertia. Recitatae sunt Vesperae cum Completorio et preces Synodales, quas exceptit quarta consideratio Directoris exercitorum spiritualium.

De fortitudine in tribulationibus ostendenda.

Venerabili illi sacerdoti Joanni Bosco prima missa celebrata Margarita mater eius solemnii modo haec dixit: »Iam nolli putare, fili mi, abhinc unum diem sine tribulatione tibi eventurum.« Bene illa mater a Spiritu s. illustrata idem dixit, quod s. mater Ecclesia unicuique iuveni sacerdoti imminere praedicit. Necessario enim sacerdos vir dolorum constituitur, quoniam vices crucifixi Redemptoris gerere electus est. Hinc de S. Paulo Ap. ipse Dominus vaticinatus est: »Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus et regibus et filiis Israel. *Ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati:* (Act. 9, 15. 16.) Nec tamen tristitia tale vaticinium verum sacerdotem afficit sed gaudio, dummodo amore erga Jesum crucifixum repletus forti animo tribulationibus occurrat. »Iabant apostoli gaudentes a conspectu concilii; quia digni habitu sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.« (Act. 5, 41). Praeparaturi igitur animos nostros ad fortiter ac laetanter patiendum inspiciamus fontes tribulationum nostrarum, qui sunt quatuor: *a) Conscientia propriae indignitatis nostrae; b) confratrum sacerdotum modus gerendi; c) fidelium, quorum cura animarum onerati sumus, conditio; d) totius catholicae Ecclesiae status.*

a) S. Ignatius in aureo opusculo exercitiorum (I. hebd. exercit. II. 3) recte ac vere vult, ut inspiciamus animam nostram tamquam ulcus et apostema, unde pullularunt tot peccata et nequitiae ac venenum tam turpissimum. Offerens autem panem consecrandum in altari unusquisque nostrum orat Deum, ut suscipiat immaculatam hostiam »quam ego indignus famulus tibi offero pro innumerabilibus peccatis et offenditionibus et negligentias meis.« Quo quis sanctior existit, eo magis perspicit se veritatem hisce verbis confiteri. Cruciaturo vero mens pia et amans Deum dolens, quod non purum et dignum hospitium domino suo offerre potest.

Esuriens et sitiens iustitiam sacerdos pius ab ipso Deo permultis tribulationibus purgatur. Annuit enim Dominus, ut servi sui temptationibus variis imitantur Christum, quem oportuit haec pati et ita ingredi in gloriam suam. (Luc. 24, 26.) Hinc haud pauci cum St. Paulo quidem ter aut multo pluries Dominum rogam, ut discedat a se. Ast idem ipsis denique confitendum est quod apostolo: »Et dixit mihi: sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur.« (II. Cor. 12, 9.)

Haud raro Deo ita volente et disponente accedunt morbi et dolores corporis gravissimi, ut cognoscat sacerdos, quam verum apostolus scripserit: »Quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imaginis filii sui.« (Rom. 8, 29.) Stigmata Christi in proprio corpore portare decet et iuvat fidelem Christi sacerdotem. Persuasum ipsi est, aliter se non posse purgari et sanctificari. Hinc quidem dolet et torquetur, sed gaudet in omnibus passionibus suis.

b) Alter fons tribulationum sacerdotis e necessitudine intima, qua omnes sacerdotes quasi unius corporis membra constituuntur, scaturit. Quodsi de Christianis omnibus apostolus recte dixit: »Vos estis corpus Christi et membra de membro,« (I. Cor. 12, 27.) quanto magis verbum istud sacerdotibus accommodatur? Iam si unum membrum patitur, compatiuntur omnia (Ibid. v 14.).

Quare primo sacerdos recte sperat et exspectat secum sensuros esse confratres et cooperaturos in operibus bonis et Ecclesiae saluti faventibus. Haud raro autem spes ista iusta fallitur. Relinquitur aliquando sacerdos solus in laborando; aliquando frigidos tolerare debet atque ab omni compassione alienos eos, quos socios et adiutores habere putavit. Vulneratur inde cor sacerdotis tepore ac taedio confratrum.

Graviore dolore configuntur corda sacerdotum, si quis sacerdotii particeps crimine pessimo et scandalo dignitati sacerdotali damnum maximum infert. Nonne palpitarunt apostolorum corda Domino triste proclamante: »Unus vestrum me traditurus est?« Haud minore terrore sacerdotes Ecclesiam amantes tremefiunt audientes unum ex semetipsis Do-

minum tradidisse. Quid inde? Minime iuvat miserum mordere et horrorem contra eum ostendere. Econtra cum tristitia nec non cum humilitate dicendum nobis erit: Cum timore ac tremore operemur salutem et cum attentione recitandum capitulum Completorii: »Fratres sobrii estote et vigilate.«

Deinde eiusmodi calamitatibus atque scandalis fraterna correctio omnibus commendatur. Quis est, qui non concedat haud paucos fore, qui a lapsu tristissimo praeservati essent, si confrater opportuno tempore infelicem admonuisset et ipse in periculo versatus verba admonitoris humiliter benigneque receperisset?

c) Tertio dolores et passiones sacerdotis ex cura animarum oriuntur. Sunt enim qui labores sacerdotis hostili modo enervant. Etiamsi non dormiat, qui bonum semen in agro dominico seminaverit, tamen nostra aetate imprimis inimici homines zizania immittunt, quae suffocant triticum. Libris, ephemeribus, colloquiis, sermonibus contra fidem ac bonos mores odiosis plurimi perventuntur vigilante animarum pastore.

Accedunt ex ipso grege, qui tepidi verbum pastoris non audiant aut contemnant. Eliam prophetam zelantem ac ferventem tribulationem talem passum taeduit vivere. (III. reg. c. 19). Ipse Dominus in monte Oliveti videns Jerusalem intimo cordis dolore correptus lacrimas fudit. Paulus vero apostolus Dominum imitatus scribere coactus est ad Christianos Philippenses: »Multi ambulant quos saepe dicebam nunc autem et flens dico inimicos Crucis Christi.« Mirumne est, quod sacerdotem apostolicum iidem dolores cordis arripiant? Non est discipulus supra magistrum.

d) Denique totius Ecclesiae in orbe terrarum propagatae vicissitudines sacerdotis viscera tum gaudio quum multo saepius tristitia afficiant necesse est. Quotidie enim in canone missae sacerdoti orandum est pro sancta Ecclesia catholica et pro omnibus catholicae et apostolicae fidei cultoribus. Fieri igitur nequit, ut coarctetur catholici sacerdotis cor angustissimis populi sui aut dioeceseos suaue finibus. Ordo quidem charitatis servandus est, attamen nemo charitate sacerdotis

catholici privari potest. Hinc aegre ferent sacerdos in Austriaco imperio degentes quod unio illa catholica de propaganda fide nuncupata perpaucos in ipsa Austria et Hungaria sodales habet. Inter populos catholicos enim, qui pecunia unioni illi succurrerunt anno 1907 Austriaci demum decimo loco recensentur (Cfr. Katholische Missionen. Freiburg 1907/8. p. 239). Superiore loco nominantur Belgae, Hollandi, Suecia. Melius aliquantulum res se habet in unione, quae de s. Infantia Jesu nomen habet. Pueri puellaeque Austriae et Hungariae anno 1907 contulerunt 154.987 frcs. At praeventi sunt hi quoque per infantes Italiae, Belgii, Hollandiae, Germaniae. Vix igitur negare licet catholicorum Austriae non ita interesse propagare fidem sicuti decet. Sacerdotum autem est efficere, ut zelus fidei magis accendatur, id quod certo fiet, si sacerdotibus fortitudo in passionibus subeundis non deest. Victoria de mundo nobis non est promissa nisi per virtutem crucis.

Finita pia meditatione Reverendissimus Antistes ascendit ambonem et explicavit constit. synod. Tit. I. cap. II.: *de ordine cultus divini*. Cum reversus esset ad sedem, Procurator Cleri obtulit ei varios libellos, quibus Synodales desideria sua exposuerant. Dictis precibus in gratiarum actionem Congregatio hora fere sexta dimissa est.

VII.

Acta quartae Congregationis generalis.

Ad horam septimam feriae V post Dominicam XI a Pentecoste, quae fuit a. d. VI Kalendas Septembres, indicta erat congregatio generalis quarta. Recitata officii hora tertia celebravit s. Missae sacrificium P. T. D. Mathias Kolar, Decanus Capit. eccl. cathedr. R. P. Rösler post missam proposuit puncta meditationis quintae.

De fortitudine in pugna manifestanda.

Christus Dominus etiamsi princeps pacis proclamatus sit, tamen asserit: »Non veni pacem mittere, sed gladium.« (Math. 10, 34). Voluit quoque, ut apostoli pugnando regnum

Dei propagarent. Militiam hominis vitam in terra, nemo magis persuasum habere debet, quam sacerdos. Necesse autem est pugnemus: *a) cum Deo, b) cum hominibus, c) contra diabolum.*

a) Patriarcha Jacob nomen Israel accepit, quia cum angelo Domini pugnaverat. »Non dimittam te, nisi benedixeris mihi« dixerat ad angelum. Victum autem se confitens angelus respondit: »Israel vocabitur nomen tuum, quoniam si contra Deum fortis fueris, quanto magis contra homines praevalebis?« (Gen. c. 32). Patriarcha ille sacerdotis exemplar est, quippe quem sacerdos orando atque obsecrando adiutorium divinum necessarium impetrare debeat. Laborando, patiendo, orando sacerdos munere iniuncto fungi debet; oratio vero primum locum occupat, quoniam Dominus dixit: sine intermissione orate. Verus Israel ipse Christus Dominus orando ad gravissimos labores, ut nobis exemplum praeberet, adiit. Antequam apostolos eligeret, pernoctavit orando. Passionem autem subiturus sudorem sanguineum fundens pugnavit donec ab angelo confortaretur. Ita sacerdotis est cum deo orando pugnare et gratiam divinam occupare.

b) Sicuti Israeli patriarchae promissum est contra homines praevalitarum esse i. e. contra Esau fratrem suum, ita sacerdoti, quamvis pacis amans fuerit, cum hominibus pugnandum erit. Adhortatus est quidem apostolus Timotheum suum (II ep. 2, 24): »Servum Dei non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem cum modestia corripientem eos, qui resistunt veritati.« Nihilominus ipse coactus est saepissime resistentes veritati corripere et hoc modo litigare. Nostra aetate imprimis tot inveniuntur inimici veritatis catholicae, ut ad apologetae munus subeundum omnis sacerdos obligatus sit. Animum igitur oportet studiis roborare ad respondendum unicuique spei nostrae rationem poscenti. Ars autem apologetica non solum scientia ets studio aequiritur, sed ut utiliter exerceatur, virtutibus quoque dilectionis et mansuetudinis opus est.

Speciali modo pugnandum est viris apostolicis cum mulieribus. Mirum quidem est, quod pauci inveniantur, qui

non contra mulieres certamen habuerint. Eliae prophetae fortitudinem Jezabel exercuit, Joanni Baptistae contra Herodiam gladio verbi dimicandum erat, Joannem Chrysostomum Eudoxia imperatrix quieta apostolico munere fungi non sivit. In Apocalypsi autem angelo Thyatirae dicitur: »Habeo adversus te pauca, quia permittis mulierem Jezabel, quae se dicit propheten, dicere et seducere servos meos« (2, 20).

Vigilet oportet sacerdos, ne familiari modo agendi cum mulieribus infirmus inveniatur et misere oblectamentis feminarum detrimentum patiatur.

c) Oblivisci non licet in prima pugna diabolum victoriā reportasse, quia mulieris infirmitate usus est. Jam sacerdotis est opus Christi continuare, quod S. Joannes apostolus descripsit, dicens: »In hoc apparuit filius Dei, ut dissolvat opera diaboli«. (I. ep. 3, 8.). Contra diabolum igitur pugnando operaque eius dissolvendo tota vita sacerdotis occupatur. Opera autem diaboli peccatum, mortem, infernum esse patet. Ferventi igitur odio contra peccata sacerdos vix unquam quiescere poterit; contra ignorantiam, errores, et haereses pugnabit instruendo et docendo populum; contra vitia varia et malas consuetudines pugnabit virtutes colendo et fovendo. Aliis armis aliis temporibus certandum est; sicuti hodie nemo sanae mentis armis utitur, quae saeculis praeteritis a militibus adhibebantur, ita in pugna spirituali contra »rectores huius mundi« arma conferenda sunt nostris temporibus apta. Ita pugnando vitam degens denique sacerdos cum apostolo loquetur: »Bonum certamen certavi.«

Cum Synodales attento animo audissent sermonem sacrum, Reverendissimus Praesul respondit ad ea, quae pridie quaesiverat Procurator Cleri, pollicens, se facturum, quod iure meritoque optaretur; deinde iussit Lectorem promulgare Constit. synod. Tit. I. cap. 3: *de doctrina christiana*; quo facto Celsissimus Episcopus multa graviaque verba fecit de mediis adhibendis ad praecavenda in iuvenibus peccata luxuriae.

Sub finem huius Congregationis petiit Procurator Cleri P. T. D. Joseph Šiška, ut quod iam moris esset, sacerdotes in confiniis dioecesium mutuo se adiuvare in cura animarum,

ad vitandos scrupulos Reverendissimi Episcopi diserte ratum id facerent. Promisit Illustrissimus Antistes se provisurum, quae opus essent.

Propter benedictionem novae domus associationis typographicae, quam ipse Celsissimus erat peracturus, Ordo synodalis oportuit ita immutaretur, ut Congregatio generalis proxima non iam hora quarta, sed hora tertia haberetur. Indicta itaque Congregatione quinta ad horam tertiam pomeridianam eiusdem diei conventus dimissus est.

VIII.

Acta quintae Congregationis generalis.

A. d. VI Kalendas Septembres, hora tertia pomeridiana, postquam congregata est Synodus, recitatae sunt ex more Vesperae cum Completorio et dictae preces ad inchoandam Synodum. R. P. Director exercitiorum spiritualium habuit sermonem.

De fortitudine in morte subeunda manifestanda.

Perpauci inter homines iuveniuntur, qui timore mortis prorsus expulso libenter mortem subeunt. De suicidis, qui timore malorum in mortem magis compelluntur, quam mortem sine timore amplectuntur, sermo non potest esse. Christianae religionis vero est mortis timore confessores suos liberare. Sacerdos etiam hac in re eminere debet inter eos, qui Christi vestigia premunt. Revera vix quisquam tam fortiter libenterque morti occurrit, sicut sacerdos vere sacerdotalem vitam finiturus. »Desidero dissolvi et esse cum Christo,« licet ipsi cum apostolo dicere. Comparatur autem felix ista mors, quae nescit timorem *a) respiciendo in vitam bene peractam; b) prospiciendo in resurrectionem futuram.*

a) Timore morientes angustiantur, qui respicientes in vitam celerrime peractam confiteri debent se vitam aut totam aut aliquam partem perdidisse. Illud verbum horrendum: »Redde rationem villicationis tuae« horrore moriturum afficit. At sacerdos, qui cum apostolo studuit quotidie mori, de

ratione instantे vix contremescit. Videt enim tempus vitae sibi concessum inde ab impositione manuum bene per singulos dies in servitium Dei adhibitum. Haud raro diurnum tempus non sufficerat ad labores superandos, noctis quies abbreviata est; nonne solatium inde sacerdos moriturus hauriet.

Respicientibus dies vitae praeteritos peccata quasi reviviscunt memoria. Moriturum recordatione ista cruciari ac timore affici quis est qui miretur? Neque a sacerdote decessuro timor ille alienus erit, attamen memoria poenitentiae et amore Christi patientis foras expelletur. Sacerdotis enim pii vitam recte poenitentiam diuturnam vocabis. Confidenter igitur morituro licebit dicere: Cor contritum et humiliatum Deus non despicies. Parochus quidam iam morti proximus quieto laetoque animo pronuntiavit: »Cruces permultae mihi per vitam obvenere, sed in omnibus Christum Dominum quaesivi.«

Nec retinetur sacerdos more filiorum huius mundi rebus mundanis, quibus valedicere tristi cum corde haesitat. Opibus destitutus cum pauperibus communicavit, quae ad vitam simplicem frugalemque necessaria erant. Nunquam cogitavit sicut ille stultus in evangelio (Luc. 12, 18) de horreis maioribus faciendis. Quamobrem nec audiet verbum illud: »Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te; quae autem parasti, cuius erunt?« S. Laurentium potius imitatus pauperes et egenos thesauros suos nominabit. Longo iam tempore testamento atque ultima voluntate indicata consuluit et providit, ne subitanea et improvisa morte negotia et scandala fiant.

Respiciens denique vitae tempus opera bona ad maiorem Dei gloriam patrata conspicit et iam de semetipso dicere audebit, quod saepissime defunctorum animas Deo commendans recitavit: Beati mortui, qui in domino moriuntur. Amodo iam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus: opera enim illorum sequuntur illos (Ap. 14, 13). Morituros tot adiuvit; infirmos peramanter visitavit, peccatorum onera in confessionali sublevare nunquam desidia omisit, rudium

puerorum eruditio religiosa semper ipsi cordi fuit: nonne fortis animo iustum iudicem expectabit?

b) Fortitudo laeta morituri sacerdotis etiam augetur prospectu fidei in res mortem sequentes. Magnum quidem solatium fides catholica omni tempore praebet, attamen quoque apostolus dixit: »Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem.« (I Cor. 13, 12). Obscuritas dogmatum fidei multo maior est quam claritas. Fortes quidem in fide credimus et pugnamus, ast quis non sentit desiderium, ut ipsi fiat, quod sacerdos moribundi animam Deo commendans adprecatur: »Redemptorem tuum facie ad faciem video et praesens semper assistens manifestissimam beatis oculis aspicias veritatem.« Jam in eo est sacerdos moriturus, ut petitio haec impleatur. Fieri ne poterit ut timens mortem abhorreat?

Neque sepulcrum corporisque dissolutionem considerans pavebit. Nonne apostolum audit iubilantem: »Absorpta est mors in victoria. Ubi est mors victoria tua? Ubi est mors stimulus tuus? Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem et mortale hoc induere immortalitatem.« (I Cor. 15, 53). Resurgemus. Sacerdos autem apostolorum more »testis resurrectionis« (Act. 1, 22) electus est. Per singulos annos Paschalem hymnum iubilante cum animo cantavit. Quodsi fecit apostolica cum fide, cum apostolica laetitia quoque moriens confitebitur: »Sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem coelestis (hominis)« (I Cor. 13, 49).

»Certus sum, quia neque mors neque vita, neque angelii neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quae est in Christo Iesu Domino nostro.« (Rom. 8, 39).

Amorem talem autem efficiet in morituro sacerdote timor ille, quem inde ab initio sacerdoti ipsi verba Spiritus sancti ad angelum Laodiceae inculcaverunt: »Scio opera tua, quia neque frigidus es neque calidus; utinam frigidus esses aut calidus. Sed quia tepidus es et nec frigidus nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo.« (Ap. 3, 15). Iuvenem in

seminario studiis vacantem verba ista terruerant; iam per totam vitam studuit augere charitatem et flamas divini amoris accendere. Mortem igitur laetus aspicit, quoniam fortior quam mors dilectio est. Bene scit aeternas fore flamas beatas divini illius amoris, quae ex corde igneo Jesu accensae sunt. S. Ignatium martyrem recordatur, qui moriturus Romanis scripsit: Amor meus crucifixus. S. Ambrosii librum »de bono mortis« in mentem revocans laete cum episcopo hoc gloriose proclamat: »Festinemus ergo ad vitam. Si quis vitam tangit, vivet.« Denique tetigit illa mulier, quae tetigit fimbriam eius et a morte dimissa est, cui dicitur: »Fides tua te salvam fecit; vade in pace...« Quaeramus ergo viventem. Sed iterum videamus, ne eum quaeramus inter mortuos et dicatur nobis sicut et mulieribus illis: »Quid quaeritis viventem cum mortuis? Non est hic, surrexit. Ipse quoque Dominus, ubi se quaeri vellet, ostendit dicens: Vade ad fratres meos et dic eis: Ascendo ad patrem meum et patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum...« Ibi ergo quaeramus eum, ubi quæsivit Joannes et invenit. Ille eum in principio quæsivit et invenit viventem apud viventem, filium apud patrem. Nos eum in temporum fine quaeramus et complectamur pedes eius et adoremus eum, ut dicat nobis: Nolite timere, i. e. nolite timere a peccatis saeculi, nolite timere ab iniurias mundi, nolite timere a fluctibus corporalium passionum, nolite timere a morte; ego sum vita. Quicumque ad me venit, mortem non videbit in aeternum.« (Ambros: De bono mortis. c. 12. n. 57. Migne XIV. col. 566).

Conclusio. Synodo iam ad finem peracta licebit Reverendissimo Principi-episcopo dicere cum Gedeone, cuius mentio initio sermonum facta est: »Surgite, tradidit enim Deus in manus nostras castra Madian.« (Jud. 7; 13). Licebit istud, dummodo synodales omnes induiti sint virtute ex alto, ut iam fortes in fide, fortes ad vitam sacerdotalem degendam, fortes ad labores apostolicos sustinendos, fortes ad passiones tolerandas, fortes pugnatores, fortes denique ac mortis timore liberati exeant et redeant in vineam Labacensis dioecesis. Revera Revmi synoditae studuerunt fortitudine ista multi-

plici corroborare animos. Exeant igitur proclamantes sicuti illi trecenti viri Gedeonis: »Domino et Gedeoni!« »Gladius Domini et Gedeonis!« ita proclament: »Domino et episcopo nostro!« et dominabitur Deus.

Post meditationem rogatu Promotoris Synodi mandavit Reverendissimus Praesul, ut pronuntiarentur nomina eorum, qui probati sunt a Synodalibus examinatores promovendorum ad beneficia curata.

Examinatores promovendorum ad beneficia curata.

Josephus Smrekar, S. S. Praelatus dom., Canon. honor., Instituti dioec. studior. theolog. Proreector;

Andreas Kalan, S. S. Praelatus dom., Canon. eccl. cathedr.;

Dr. Andreas Karlin, Canon. eccl. cathedr.;

Dr. Joannes Koren, Canon. eccl. cathedr.;

Msgr. Antonius Zupančič, Prof. theolog.;

Dr. Josephus Lesar, Canon. honor., Prof. theolog.;

Dr. Joannes Janežič, Prof. theolog.;

Dr. Alexius Ušeničnik, Prof. theolog.;

Dr. Franciscus Ušeničnik, Rector Coll. Sti Stanislai;

Michael Arko, Decanus in Idria.

Iam perrexit Synodus agere, quae agenda ex ordine restabant. Procurator Cleri protulit aliquas causas synodalium, quas Reverendissimus Praesul paucis verbis compo-
suit. Instante hora, qua domus typographica benedicenda erat, Illustrissimus Antistes, gratis Deo actis, dimisit congregatos.

IX.

Acta tertiae et ultimae Sessionis publicae.

Expeditis feliciter negotiis Synodi, reliquum erat, ut gratiae Deo sollemniter agerentur. Feria VI, a. d. Kalendas Septembres, hora sexta matutina Reverendissimus Princeps-Episcopus celebravit s. Sacrificium in honorem SS. Trinitatis; Synodales vero in Missa sacramentali Eucharistiae per-

ceptione communicarunt. Sacrificio oblato, persolutae sunt preces ex Pontif. Rom. in hac ultima Sessione praescriptae. Iam Illustrissimus Antistes ascendit ambonem, ut haberet ultimum sermonem synodalem.

Allocutio finalis.

Deo opitulante ad finem Synodi pervenimus. Gratias Vobis, qui mecum perseverastis paratique estis, labores Vestros Constitutionibus et Instructionibus Synodi nostrae conformare. Bene enim perspexistis, Constitutionibus et Instructionibus nihil aliud intendi, quam meliorem atque magis uniformem adimpletionem negotiorum et officiorum, quae in cura animarum Vobis incumbunt.

Insuper animo recreati, spirituque renovati estis: utinam in hoc spiritu ad finem usque vitae perseverare possitis! Permittatur mihi, ut hunc in finem nonnulla verba proferam et tunc in pace Vos dimittam.

1. Meminerimus quotidie, quam sublimis sit vocatio nostra. Vocati sumus, ut opus divinum salvationis generis humani per nos continuetur. Qualis dignitas! Post gratiam baptismi, gratia maior conferri nobis non potuit. Cum psalmista mirantes clamemus: »Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat et humilia respicit in coelo et in terra? Suscitans a terra inopem et de stercore erigens pauperem: ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui!«¹⁾

Qui vero ad tam sublimem statum nos vocavit, gratiam quoque necessariam nobis praeparavit, ut »placitis moribus dignanter servire illi possimus«.²⁾

2. Cum ministri Ecclesiae constituti simus, certe devotionem erga hanc Ecclesiam Deus ipse nec non populus Christianus a nobis exspectat. Et revera, omnimodam devotionem Ecclesia meretur.

Nonne sponsa Christi est, quae in dies novos filios Illi generat? nonne Corpus Eius mysticum constituit, estque »os de ossibus Eius, caro de carne Eius?«³⁾ nonne Christus in Illa et per Illam vivit?

¹⁾ Psalm. 112, 5—7. — ²⁾ Orat. in festo s. Barnabae. — ³⁾ Gen. 2, 23.

Insuper persecutiones multas Ecclesia patitur et quidem, non solummodo ab inimicis, ab haereticis, ab schismaticis, sed etiam a propriis filiis. Quis enim funestos errores modernismi excogitavit, populo callide proponebat, clericos in illos pertrahebat? Dico: »funestos errores«, nam si illi ulterius propagati fuissent, Ecclesia desineret vivere, desineret esse. Ergo quis errores tam perniciosos propagare conabatur? Nonne filii Ecclesiae, nonne, proh. dolor, ipsi sacerdotes? O »navicula« i. e. Ecclesia in medio mari iactabatur fluctibus, erat enim contrarius ventus.¹⁾

Quapropter devotio nostra erga Ecclesiam terminos nesciat. Amemus illam spiritu, corde, voluntate. Amemus illam spiritu: definitionibus et doctrinis eiusdem intellectum nostrum libentissime subiiciamus, nam verba sapientiae loquitur in Spiritu veritatis, qui in omnem illam inducit veritatem.

Amemus illam ex toto corde! non recedamus ab illa, sed semper et ubique ex partibus eius inveniamur; tristitiis eius condoleamus, in omni casu apud illam maneamus imperterriti, amici eius sunt nostri amici, inimici eius nostri inimici, ut etiam de nobis Christus affirmare possit: »Vos estis, qui permansistis mecum in meis temptationibus²⁾«.

Amemus Ecclesiam tota nostra voluntate! Ergo exhibeamus illi voluntariam perfectamque obedientiam; adimpleamus omnes leges morales, omnia praecepta disciplinaria, omnes regulas liturgicas; defendamus eiusdem iura parati etiam mori pro illa.

3. Qui vero erga Ecclesiam devoti sunt, sumnum quoque Pontificem maxima prosequuntur reverentia. In illo enim vivit Christus magister noster, Christus pastor noster.

Vivit quidem Christus in ss. Eucharistia, ubi ad cor nostrum loquitur illudque solatio et robore adimplet. At in dubiis circa aeternas veritates, in variis opinionibus, quae nos perturbant, non loquitur Christus, sed Pontifex, quem doctorem infallibilem Christus nobis dedit.

Vivit quidem Christus in ss. Eucharistia, ubi tamquam bonus pastor carne propria et sanguine nos pascit, amorem

¹⁾ Matth. 14, 24. — ²⁾ Luc. 22, 28.

Dei et zelum animarum nobis infundit; at si ducem quaerimus, qui in unum nos coniungit, contra lupos nos defendit, a via erroris retrahit, iterum non est Christus in ss. Eucharistia, qui omnia haec praestat, sed Pontifex, cui Christus oves et agnos suos pascendos suprema sua auctoritate commisit.

Cum res ita sint, reverentiam erga Christum habere non potest, qui Pontifici illam non exhibit; amare Christum in suis membris, in mystico suo corpore non potest, qui Pontificem, super quem Ecclesia aedificata est, qui centrum est unitatis, non amat.

4. Ministri Christi sumus, quapropter servitia Illi exhibere obligamur. At quomodo?

Per sanctificationem nostram. Nam haec sanctificatio prae caeteris obligationibus nobis incumbit; quapropter obligati sumus ad media apta et idonea, quibus sanctificatio nostra, perfectio nostra, prouti status sacerdotalis illam expostulat, obtineri, conservari, immo et promoveri poterit.

Oportetne haec media recensere? Frequens confessio, quotidiana saltem brevis meditatio, quotidiana pia lectio, quotidianum examen conscientiae, tener amor erga B. Virginem Mariam, cultus Ss. Cordis Jesu, qui praeprimis in devota celebratione missae et in quotidiana adoratione Sanc-tissimi ostenditur: media sunt ad hunc finem apta.

Quomodo adhibere haec media solemus? Utinam quotidie, constanter et serio!

Secundo Christo servitium praestamus per doctrinam exhibitam fidelibus. Nam doctrina fideles ad cognitionem Christi adducere, doctrina bonitatem, misericordiam et amorem Christi illis patefacere, doctrina voluntates etiam rebelles subiicere Christo valemus. Contendamus ergo docere infantes et adultos, docere in schola, in ecclesia et per domos, ne falsi prophetae induiti angelum lucis fideles a Christo avertant cordaque eorum aversione, immo odio in Christum impleant.

O quam suavis obligatio praedicare Christum et quidem Christum crucifixum! praedicare amores et dolores Ss. Cordis

Eius atque ad reciprocum excitare amorem! praedicare Christum praeresentem in S. altaris Sacramento fidelesque amanter ad illam invitare mensam »in qua Christus sumitur, mens impletur gratia et memoria passionis Eius recolitur!« O quam suavis obligatio sermocinari de beatissima Virgine et Matre Dei Maria, de Eius dignitate, amore, castitate, humilitate, de Eiusdem materno purissimo Corde, deque immensis doloribus Eius! O quam suavis obligatio populo petenti panem spiritualem explanare aeternas veritates, explanare illas cum omni fiducia sine timore erroris!

Tertio servitium Christo praestamus per opera misericordiae. Cum aegrotum visitas, cum pauperi eleemosynam porrigit, cum afflictum consolaris, cum ignarum doces, cum dubitanti consilium praebes, cum derelicto succurris, ipsi Christo servis, nam nonne ille dixit: »Quamdu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis!«¹⁾

Idem affirmare licet, quando iuvenes et puellas in Congregationem Marianam, alios in tertium Ordinem S. Francisci, patres familias in Associationem a S. Familia colligis ibique statutis convenienter dirgis. Immo in hoc quoque casu Christo servitium praebes, quando iuvenes et viros in varias associationes vocas et invitás, quibus vel intellectus magis excolitur, vel per gymnasticam corpus roboratur, vel oeconomia bonum materiale eorum promovetur, vel in politicis associationibus ad defendenda iura hominis christiani coniunguntur. Nam labores et sudores Vestri in omnibus enumeratis associationibus eo tendunt, ut populus fidelis Ecclesiae, atque per Ecclesiam Christo adhaereat, nec per illecebras emolumenti terrestris ab Illo abstraheretur.

5. At quotidiana experientia edocemur, sacerdotes, qui revera tales sunt, a mundo odio haberi. Odium istud Dominus iam praevidit et praedixit: »Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligenter: quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.«²⁾

¹⁾ Matth. 25, 40. — ²⁾ Joan. 15, 18.

Odium ergo ex parte mundi signum est veri discipuli Christi. Vae sacerdoti, qui a mundo laudatur, a mundo diligitur, a mundo p̄ae confratribus extollitur. Laudes mundi probare videntur, sacerdotem talem non esse e parte Christi, sed e parte mundi, a quo Christus et discipuli eius odio habentur. Ita etiam S. Paulus testatur affirmando: »si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.«¹⁾

Odium mundi crescit, si zelus sacerdotis pro Christo, pro Ecclesia, pro populo fidi crescit. Nonne S. Stephanum Judaei tunc ad occisionem postulaverunt, quando ille »plenus gratia et fortitudine prodigia et signa magna faciebat in populo?«²⁾ Nonne etiam contra Christum ipsum consilium occidendi Illum tunc ceperunt, cum, Lazaro a mortuis excitato universus populus summis illum prosequebatur laudibus, illumque tamquam filium Davidis, tamquam Messiam per plateas Hierosolymitanas proclamabat!³⁾

Simili modo inimici Christi etiam contra veri nominis sacerdotes machinationes pessimas excogitare, eorum coepa subvertere, eorum intentiones suspicari, illosque ignominiis afficere, irrisioibus exponere non cessant, si sacerdotes Spiritu Christi imbuti omnem vitam populi scilicet ecclesiasticam, domesticam, politicam et socialem eodem spiritu imbuerere omnibus viribus contendunt, atque ad hunc finem obtinendum tempus suum, peculium suum, imo et sanitatem suam sacrificare parati sunt.

Nos vero, ut genuini discipuli Christi, inimicos diligere atque orare pro illis volumus, prouti Christus pro crucifixoribus oravit, prouti s. Stephanus lapidibus obrutus clamat: ne statuas illis hoc peccatum? Inimici quidem permanebimus errorum, quos spargere conantur, amici vero personarum, quae sanguine Christi redemptae sunt; utinam omnes in ovile Christi perduci possent!

6. Ministri Christi sumus, quapropter nosmetipsos mutua complectamus charitate, quae charitas quotidie augeatur, ut charitate coniuncti eo facilius proelia Domini proeliemus.

¹⁾ Gal. 1, 10. — ²⁾ Act. 6, 8. — ³⁾ Joan. 11, 46, sqq.

Coniuncti vero maneamus in divino Corde Jesu Christi. Orationes nostras, labores nostros, passiones nostras quotidianas huic Cordi offeramus ad expiandas iniurias illatas illi in ss. Altaris Sacramento in primis ab illis, qui sacrilege ad illud accedunt, vel praesentiam Christi in illo negant, atque in illum finem, in quem ipse in cruce semet obtulit Deo Patri, atque quotidie in missae sacrificio offerre semet continuat.

Utique, in hoc sacrificio comendemus nosmet invicem misericordiae huius sanctissimi Cordis, ut obtenta gratia perseverantiae tamquam fideles ministri audire mereamur verba: fidelis servus, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. Amen.

Sermone ad finem deducto, rogavit Promotor, ut publicarentur decreta tum *de Synodo finienda*, tum *de Synodo proxime habenda*. Quod ut factum est, expositum est ss. Sacramentum et Reverendissimus Antistes inchoavit in gratiarum actionem Hymnum Ambrosianum, quem schola cantorum prosecuta est. Cum sub finem hymni omnes Synodales sollemniter se dovolissent Sacratissimo Cordi Salvatoris nostri Jesu Christi, Celsissimus Praesul, peractis omnibus quae praescripta sunt, benexit cum Sanctissimo Sacramento congregatam Synodus. Iam apertae sunt portae ecclesiae et praelectum est decretu*m de dimittenda Synodo*. Dictis orationibus dicendis in fine Synodi, ad vocem Secretarii acclamantis: Recedamus in pace — omnes recesserunt spiritu roborati et confortati ad proelianda proelia Domini, memores verbi, quo animos Synodaliū inflammavit R. P. Exercitator: »Surgite, tradidit enim Dominus in manus nostras castra Madiān¹⁾«.)

¹⁾ Jud. 7, 15.




Constitutiones

et

Instructiones

Synodi dioecesanae secundae.



Synodus Labacensis secunda continuat opus, quod a Synodo prima, anno 1903 celebrata, incoeptum est.

Quapropter constitutiones et instructiones de illis partibus curae pastoralis porrigit, quae aut statutis dioecesanis nondum ordinatae sunt, aut quae in theologia pastorali tam praecise et accurate, prouti indigentiae dioecesis nostrae postulare videntur, pertractari minime possunt.

Materia selecta in duos distributa est titulos, quorum primus de ecclesia ut aedificio atque de omnibus illis rebus necessaria constituit, quae ad ecclesiam, ad cultum divinum atque ad instructionem populi pertinent, secundus vero instructiones contineat de administratione bonorum ecclesiasticorum atque de officiis cancellariae.

Titulus I.

De cura pro ecclesia, cultu divino et doctrina christiana.

Parochus installatus curam suscipit *ecclesiae*, ut aedificium nec non omnia obiecta in illo legibus ecclesiae conformiter serventur, ut *cultus divinus* ordine praescripto peragatur, nec non ut populus christianus in *doctrina catholica* rite instituatur.

Cap. I.

De ecclesia.

In omnibus populis loci inveniuntur pro cultu divino; in populis magis exultis hunc in finem magnifica aedicari solebant templa.

Inde haud mirum, si populus christianus inde ab incububilis templis cultui divino destinatis sollerter curam impendebat. Nam templum christianum propter Deum ipsum personaliter in illo habitantem domus Dei dicitur atque revera est.

Si vero Deus ipse inter nos habitare dignatur, certe nullis sumptibus parcendum est, ut domus digna Illi praeparetur, quapropter ad aedificandam et exornandam domum Dei viventis res pretiosissimae conferri nec non omnis ars adhiberi debet et solet.

Quae vero ad domum Dei atque ad cultum divinum in illa peragendum necessario requiruntur, ab Ecclesia determinata eiusdemque legibus ordinata sunt.

Ex omnibus autem legibus et normis huc spectantibus Synodus nostra solummodo ad eas attentos reddet animarum curatores, quae docente visitatione canonica in nostra dioecesi prae ceteris inculcari debent.

Agendum autem est de *aedificio ecclesiae*, de *sacristia*, de *objectis* in ecclesia, de *ordine quoad sedilia*, de colenda *arte ecclesiastica*, nec non de *museo dioecesano*.

§ 1.

De aedificio ipso.

Ecclesia ipsa, in quantum solummodo ut aedificium consideratur, *conservari*, si detrimentum passa est et ruinam minatur, *restaurari*, si vero omnino prolapsa est, ex *toto reaedificari* debet.

1. De conservatione ecclesiae.

Parochus ante omnia curare tenetur, ut tum ecclesia parochialis, tum ecclesiae filiales in statu integro conserventur. Quam ob rem *mandamus* parochis:

a) ut muros, fornices, turrim, tecta diligenter observent, ne *forte damnum* patiantur; nam *damnum statim* perceptum negotio facili refici poterit; si vero incuria parochi iam grave evasit, vix et nonnisi *magnis sumptibus* reparabitur;

b) ut curam habeant *tecti* tum ecclesiae tum turris, ne ob aliquem licet parvum defectum imbræ et nives per tectum super antheria atque trabes, quibus tectum sustinetur, vel super fornicem ecclesiae cadant, quo in casu lignum evadet putridum et cariosum, fornix vero humida ita, ut in parte intrinseca fornicis maculae comparere possint;

c) ut oculos saepe *in muros* eorumque rimas et fissuras convertant, si quae super illis comparuerint; nam si rimas observaverit, causam illarum statim requirat; causae vero esse possunt iam in trabibus putrefactis, vel fornicem nimis gravantibus vel in trabibus turris haud iuste dispositis, ita ut ob motum campanarum muri quoque in detrimentum sui moveantur; aliae insuper causae fors in fundamentis plus minusve defectuosis inveniri poterunt;

d) ut *humiditatem*, quae muris valde nocet, ab ecclesia arceant; quapropter parochi curam habebunt, ut aquæ imbrium, quae de tecto cadunt, a fundamentis ecclesiae amoventur; item curam habebunt, ne ecclesiae pavimentum situm sit sub superficie terræ circumiacentis, neque ob soli proclivitatem aquæ pluviae versus fundamenta ecclesiae fluant; fors circumcirca ecclesiam fossam procurare debebunt sat profundam cum adiecto canali, ut aquæ in fossa collectæ per canalem abducantur;

e) ut ad detegenda damna parochi *ipsi simul cum vitrīcis* ecclesiae vel *aliis peritis* ecclesiam parodialem nec non ecclesiæ filiales cum omnibus partibus *quotannis* sollicitate et accurate visitent, non autem nuntium de statu ecclesiæ aliunde exspectent.

2. De restauratione ecclesiae.

Si ecclesia detrimentum passa est, *restaurari* debet. In restauranda ecclesia vero parochos *monemus*, ut serio pependant:

a) Modum et stilum restaurationis, quapropter cum rerum peritis consilium capiant; *stilus* pro posse servetur, nisi in aliqua parte e. gr. in fenestræ prior forma ex inscritia fuerit deformata, quo in casu reformari dedebit;

b) restorationem inchoandam esse a tectis et fornicibus et colliquiis, unde detrimenta in ecclesia saepe saepius originem ducunt;

c) tunc manum ad fundamenta esse admovendam; nam defectus in fundamentis toti ecclesiae, praecipue muris, nocere multum potest;

d) servandam esse formam tecti in turri, quando elegans et artificiosa iudicatur, licet a stilo ecclesiae discrepet, quod praecipue de tectis in stilo »barocco« valet;

e) licere quidem ecclesiae parietes et fornices coloribus ornare atque picturis, at necessarium esse, ut ornamenta et picturae cum sanctitati loci, tum constructioni ecclesiae et stilo respondeant;

f) ut vero reparatio aedificii ianuae, fenestrarum, fundamentorum, turris atque inductio colorum et picturarum secundum praecepta artis acclesiasticae fiat, delineamenta cuiuslibet restorationis vel innovationis via ordinariatus ad commissionem diocesanam pro arte ecclesiastica fovenda approbationis causa transmittenda esse.

3. De aedificatione novae ecclesiae.

Quando ecclesia parochialis omnino prolapsa est, vel propter incrementum numeri parochianorum fideles capere non potest, tunc parodo et parochianis onus incumbit procurare sibi *novam ecclesiam*.

Ut vero tale negotium feliciter inchoari necnon ad finem exoptatum perduci possit, *requiritur*:

a) parochus ante omnia fideles ad pium opus omni meliori modo incitare atque inflammare debet, nam solummodo hoc in casu grande onus in se suscipere et sacrificia omnia etiam ingentia ferre parati erunt;

b) tunc simul cum viris, qui in parochia auctoritate eminent, locum designabit pro ecclesia, nec non amplitudinem numero parochianorum aptam atque formam stili;

c) his stabilitis ab architecto perito delineamenta novae ecclesiae procurabit, e quibus situs ecclesiae eiusque amplitudo et forma patebit; in quo delineamento ad situm sacri-

stiae, ambonis, baptisterii et confessionalium praeprimis attendum est; turris, quae ecclesiae magnum decorum contribuit, *non aedificetur in fronte ecclesiae ita, ut ingressus in ecclesiam per turrim pateret, neque in tali parte, ut necessariam fors amplificationem ecclesiae impediret;*

d) praedicta delineamenta non exhibeant nisi adumbrationem ecclesiae eiusque partium, nam delineamenta perfecta nimiam pecuniae summam absorberent et forsitan frustra, sc. in casu, si delineamenta reiicerentur;

e) delineamenta ad commissionem artis ecclesiasticae fovendae dioecesanam revisionis et approbationis causa transmittantur;

f) eodem tempore computus fiat de expensis in aedificatione novae ecclesiae necessariis simulque fontes inquirantur, unde sumptus omnes praestari poterunt;

g) parodus providens iusto cogitabit tempore de praeparanda materia et pecunia; quae praeparatio fortasse per plures annos protrahi debet, imprimis in parochiis, ubi populus neque dives est neque numerosus; nam parvas collectas populus haud denegabit; quae tamen collectae per plures annos continuatae in magnam et sufficientem coalescent summam;

h) valde pacifice opus procedet, si populus voluntarie haud coactus ad aedificationem necessaria conferet; at saepe eveniet, ut populus ab uno vel altero viro inquieto et obstinato instigatus collectas ad novam ecclesiam necessarias deneget; quo in casu via ordinariatus potestas civilis libello supplici rogabitur, ut sic dictam concurrentiam ordinare atque in exitum deducere non recuset;

i) exortis decursu laboris variis difficultatibus, exorta forsitan etiam pertinaci oppositione partis fidelium ne parodus animum despondeat, sed tranquillo animo usque ad finem illud continuet;

j) murorum incrustatio intrinseca et extrinseca, vel saltem extrinseca protrahatur saltem ad unum annum, ut propter accessum aëris humiditas e lapidibus vel alia materia removatur;

k) pictura vero ecclesiae sive ornamentalis sive figuralis per plures annos differatur, ne prorumpente humiditate maculetur;

l) altare maius semper fixum sit, quod loci sanctitas postulare videtur; si sumptus desunt, omitti poterit saltem ad tempus pars altaris, quae supra mensam in altum eminet;

m) non requiritur, ut omnis ornatus ecclesiae statim procuretur; sufficit procurare ea, quae ad cultum divinum rite peragendum omnino necessaria sunt, omnibus aliis rebus relictis curae posterorum;

n) si ecclesia aedificata est fixumque altare possidet, opportuno tempore consecrari poterit; si vero una vel altera conditio consecrationis deest, cultui publico per simplicem benedictionem tradi poterit.

§ 2.

De sacristia.¹⁾

Ad supellectilem sacram asservandam ad aliosque usus *sacristia* valde necessaria est, quapropter revera apud omnes fere ecclesias constructa invenitur. Ut vero fini suo inservire possit, parochi monentur:

a) si ecclesia ex integro reaedificatur, iam in delineamentis ecclesiae sacristiae ratio est habenda, ut etiam sacristia stilo ecclesiae conformis sit atque cum illa quasi unum corpus efficiat; sacristia in ea parte ecclesiae sita sit, ubi radiis solis plus exponitur atque a periculo humiditatis melius praeservatur;

b) in ecclesiis iam aedificatis sacristia, quando indigentiis et fini non respondet, reconstrui, amplificari vel ob humiditatem in aliam ecclesiae partem, ubi id fieri poterit, transferri debet;

c) ingressus in sacristiam non sit solummodo ex ecclesia, sed etiam e platea, ne sacerdos, aeditus et ministri ingrediendo vel egrediendo populum orantem nimis perturbent, vel a populo nimis conferto exire vel intrare impedianter;

d) sacristia bene custodiatur, quapropter ianua sit firma, serae et pessuli sint fortes, fenestrae cancellis ferreis munitae;

¹⁾ Flis, Umetnost v bogočastni službi, pg. 112 sqq.; Atz, Die christl. Kunst sub voce Sacristei.

e) fenestrae ita ex adverso ponantur, ut, quod pro arcenda humiditate summopere necessarium est, facile aëri exponantur;

f) in sacristia asservantur paramenta, albae, corporalia, purificatoria, calices, ostensoria, libri, thuribula cum naviculis, linteamina, tegumenta et ornamenta altarium, candelae, candelabra, picturae, statuae, aliaque utensilia pro ecclesia;

g) omnibus hisce obiectis recondendis *unica sacristia vix sufficiet*; ideo *altera* sacristia praeparabitur vel *locus supra illam*; in utraque sacristia vero *armaria apta et artefacta iusto ordine disposita sint*;

h) primum locum occupat *mensa, ad quam sacerdos celebraturus induitur*, quae mensa 1 m alta, saltem 2 m longa, 1 m profunda atque praeprimis variis ductilibus capsis altis 10 cm instructa sit; suadetur ut supra suppedaneum et iuxta fenestram ponatur; supra mensam ponatur armarium eiusdem longitudinis variis instructum capsellis et loculis;

j) *ductiles capsae mensae casulis* reponendis inservient, quae non plicatae sed *extensa*e duae vel ad summum tres in singulis capsis condantur; in medio armario supra mensam pendeat crux, ante quam sacerdos celebraturus inclinationem facere tenetur; *in loculis* post crucem nec non ad dexteram et sinistram eius calices serventur positi super purum linteamen, nec non ostensoria, ciboria et libri ecclesiastici ordinatim dispositi; in *capsis* vero custodiantur purificatoria, corporalia et pallae et quidem mundae separatim a maculatis; in parte superiori appareat *tabula* cum nomine regnantis summi pontificis, episcopi et imperatoris et *altera* cum adnotatione orationum imperatarum;

k) aliud armarium inserviet reponendis ornamentiis, pulvinis, cereis, candelabris; si unum non sufficit, plura procuranda sunt; vexilla, sepulcrum, tumba et alia utensilia armariis dispositis in altera sacristia vel in loco sicco supra sacristiam serventur;

l) locus quoque aptus pro *genuflexorio et tabella*, in qua orationes ante et post missam occurrent, destinetur nec non pro *tabella missarum fundatarum*;

m) cura adhibeatur, ut pro prunis, pro navicula et thuribulo spatiū separatum fors in muro excavatum praeparetur, ne pavimentum et muri a prunis et fumo inquinentur;

n) lavacrum quoque, pro posse artefactum, fors lapi-deum, ad murum sacristiae collocetur provisum canali, quo aqua ad manuum lationem adhibita statim defluere possit; in lavacrum quotidie aqua recens infundatur: ad lavacrum praeparatum habeatur purum manutergium;

o) scopae praesto sint, penicilli quoque, fasciculi plumarum et fors cauda vulpis, ut pavimentum scopis verri, altaria vero et statuae instrumento molliori, plumis, penicillis, absque damno a pulvere liberari possint;

p) mundari vero oportet pavimentum sacristiae aliaque obiecta saltem singulis hebdomadibus; pavimentum saepius etiam aqua purgetur; locus sacer et usus sacer obiectorum expostulat, ut paramenta et albae mundae, omnia alia utensilia nitida sint; cura praecipua habeatur corporalis et pallae, quae ex oblivione saepe negliguntur;

r) in sacristiam praeter sacerdotes et ecclesiae ministros nemo admittatur exceptis causis revera urgentibus, ne squalor, coenum, lutum in sacristia congeratur; quapropter non esset absque re, si pro ministrantibus crepidae paratae essent, quibus adhibitis functionibus assisterent;

s) ultimo perpendendum est, utrum fornax quoque in sacristia collocari debeat atque confessionale pro surdastris tantummodo, nam confessiones in sacristia excipere ordinarie non licet; pro surdastris tamquam confessionale adhiberi fors poterit lignea crates firmata ad genuflexorium.

§ 3.

Intra ecclesiam.

Intrinsicē ecclesia quoad omnes suas partes eam decentiam et dignitatem p̄ae se ferat, quam loci sanctitas necessario requirit. Synodus nostra quoad singulas partes ea parochis in memoriam revocet momenta, ad quae p̄ae ceteris attendere debent.

1. De altaribus.¹⁾

In qualibet ecclesia *plura altaria esse possunt*; in ecclesiis ruralibus sufficiunt *tria*, in parochiis vero parvis *unum*.

a) Inter omnia altaria eminet altare maius, in quo ordinarie etiam tabernaculum collocatur. Altare maius *semper fixum sit*, dum reliqua altaria portatilia esse possunt.

In altari maiorि cura maxima impendatur mensae et tabernaculo.

b) Prioribus temporibus mensa saepe negligebatur, licet pars altaris potissima sit, cum super ea missae sacrificium Deo offertur. Decet et requiritur, ut mensa sit *marmorea* nec non undequaque etiam in parte superiori *polita*.

Stipes constructus sit e naturali lapide quadris; si vero laterculi adhibentur, *saltem quatuor anguli* lapidei sint, nam secus altare ut fixum consecrari non posset. Si vero columnae, quibus mensa superimponitur, praeferuntur, suadetur, ut saltem anterior pars stipitis lapidea sit, ut posterior pars mensae super illam iaceat.

Cum super mensam altaris maioris poni debeat *candelabra* atque *tabernaculum*, propterea latitudo eius sit 1 m vel 1·5 m; longitudo circa 2 m vel 2·5 m, altitudo vero imprimis propter sepulcrum, in quo reliquiae reconduntur 12 vel 15 cm.

Opercula lignea, quibus olim mensae tegebantur, nunc ubique iam remota sunt, quapropter remota maneant; *proscribitur* quoque operculum *e metallo*, qnod in margine mensae circumducebatur.

c) Altare proprium habeat fundamentum, cui superstruitur; ante illud sit *suppedaneum ligneum* vel lapideum cum uno vel tribus gradibus; decet, ut gradus etiam in utraqua parte altaris prolongentur nec non, ut *pars altaris ad ecclesiam conversa artificiose ornata sit*.

d) Tabernaculum cum baldachino lapideum esse potest vel ligneum. Si lapideum est, intus ad arcendam humiditatem ligno fors populeo obducatur; propter securitatem contra flagitosos homines ultimis temporibus tabernacula adhibentur

¹⁾ Flis, l. c., pg. 3 sq.

e ferro vel e chlabyde. In omni vero casu *ianua* tabernaculi firma sit atque claudenda firmissimo claustro. *Prohibentur* tabernacula, quorum pars interior *volvitur*. *Observentur* decreta congregationum de ornatu tabernaculi.

e) Tabernaculum architectonice coniunctum sit cum altari atque cum parte, quae supra mensam eminet, quae pars pro statuis vel imaginibus sanctorum destinatur. Caveant parochi, ne ista pars nimis alta, nimis ampla sit, carentque, ut cum magnitudine et stilo ecclesiae concordet. Quae partes in stilo »renaissance« vel »barocco« plus minusve artificiose confectae *haud removeantur*, nisi omnino iam prolapsae sint; secus melius est, ut modo simplicissimo restaurentur.

f) Pars posterior altaris saepe negligitur, immo varii loculi in ea inveniuntur, in quos aeditui scopos, candelabra, lagenas cum oleo, varia ornamenta aliasque res sordidas condere solent. Cum talis usus altaris cum sanctitate eiusdem nullo modo componi possit, omnino et severe prohibetur.

g) Cura haud minor altaribus impendatur *minoribus in ecclesiis parochialibus, nec non altaribus in ecclesiis filialibus.* Constructio stipitis enim et mensa, vel si mensa deest, pars stipitis superior, ubi altare portatile positum est, saepe saepius *valde indecens* est, ruinae similior, quam altari, sordida et pulverulenta.

h) Nimis sordidus in altaribus invenitur etiam *locus, ubi vasa* cum floribus collocantur, immo vasa ipsa haud raro ab altari propter squalorem removeri, deberent. Etiam chrismale hinc inde sordidum atque propter humiditatem loci *valde mucidum* invenitur.

j) Altare portatile in stipite altaris ita poni debet, ut supra illud calix et hostia facile collocentur, ergo ne a margine altaris nimis distet, in eademque sit planicie cum superficie altaris.

2. De cancellis.¹⁾

Cum ingressus in chorum, in quo altare maius erectum est, nemini permittatur nisi solis sacerdotibus et necessariis

¹⁾ Flis, I. c., pg. 117 sq.

ministris, ideo dchorus ab ecclesia *cancellis* separatus sit oportet, de quibus *urgetur*:

a) Ut *laici* a choro arceantur, *altare maius cancellis a reliqua parte ecclesiae separetur*, vel, prouti magis suadetur, tota pars ecclesiae superior a navi eiusdem cancellis distinguatur;

b) cancelli fabricari possunt *e marmore* ita, ut lapidea sit tum oblonga tabula, quae columnis artefactis superponitur, tum isthaec columnae, tum gradus sub cancellis, qui fidelibus ad genuflectendum inservit;

c) sed cancelli etiam *e ferro* esse possunt, quo in casu gradus ante illos positus lapideus, oblonga vero tabula illis superposita lignea erit;

d) cum nostris temporibus cancelli etiam *distribuenda communioni* inserviant, cavendum est, ne altitudo eorum 75 vel 80 cm excedat;

e) eadem ex causa *tempore communionis cancelli linteo tegantur*, quo fideles utuntur, ne sacra hostia fors in pavimentum decidat, sed albo linteo intercipiatur; linteum partibus duabus constet, quarum una a parte evangelii usque ad ostiolum cancellorum, altera e parte epistolae extendatur; *communione peracta linteum statim amoveatur*; linteum semper mundum sit, quapropter saepius lavari debet;

f) laici, viri et feminae, a choro arceantur, quare *scamna in choro pro laicis*, licet nobilioribus, *numquam permittantur*; si vero iam adsunt, neque absque scandalo removeri atque in alio ecclesiae loco disponj possunt, *tacite tolerantur*: sci-ant vero ii, qui sedilibus in choro utuntur, hanc consuetudinem esse abusum pro posse abolendum;

g) si spatium in ecclesia sufficiens permittit, etiam *al- taria minora similibus cancellis a reliqua parte ecclesiae secludantur*.

3. De ambone (suggestu).¹⁾

Ambo praedicando verbo divino inservit. Quoad ambonem parochi *attendant*:

¹⁾ Flis, l. c., pg. 119 sq.

a) De *loco* ambonis nihil stricte praescriptum est; praeferatur latus evangelii, at latus epistolae non excluditur, ita ut pro opportunitate loci et circumstantiarum unum vel alterum liceat eligere;

b) in restauratione ecclesiae vel eiusdem nova aedificatione locus ita seligatur, ut aditus ad ambonem facilis sit; aditus, si fieri potest, pateat *ex sacristia, vel prope ad cancellos*, quod saltem in ecclesiis minoribus obtineri poterit;

c) ambo *columna* suffulciatur, tum propter securitatem tum propter firmitatem; non placet, si ambo nisi instar absque fulcimento muro adhaeret;

d) *solum ambonis* ne distet iusto nimis a pavimento ecclesiae; *distantia 2 m* omnino sufficit; *diametros spatii intrinseci* sit circa 1 *m*; super ambonem simplex *tectum* ita construatur, ut eius ambitus circa 20—25 *cm* trans ambitum ambonis proemineat; ab ambone usque ad tectum non sint ultra 2 *m*; quae mensuræ omnino necessariae sunt, ne vox concionatoris nimis dispergatur, sed facilius ad auditores omnes perveniat;

e) *tabulae in ambitu ambonis* lignei vel lapidei arte distinguantur atque imaginibus sculptis vel pinctis exornentur v. gr. imagine Salvatoris vel evangelistarum; *pars superior* lata sit 25—30 *cm*, ut liber super illam poni possit; diebus vero solemnioribus pars superior ambonis *pannis* pretiosis tegi potest ita, ut pannus super crepidinem sinuose dependeat; pannus affixus sit amboni intus; cavendum tamen est, *ne clavi ita proemineant*, ut concionatoris rochettum ab illis laceretur.

4. De sedilibus ecclesiasticis.¹⁾

Finis *sedilium* is est, ut fidelium commoditati inserviant, ne illi a frequentatione ecclesiae arcerentur, si durante cultu publico semper stare vel in genua provoluti manere deberent. Quoad sedilia ecclesiastica parochi ad sequentes normas attendant:

a) *Sedilia pro viris* collocentur ex parte epistolae, pro *feminis* vero e parte evangelii, neque umquam licet, ut viri et feminae promiscue sedeant;

¹⁾ Flis, l. c., pg. 131 sq.

b) tum inter sedilia in media nave, tum inter sedilia et parietes ecclesiae *spatium liberum* relinquatur, ut fideles ad proprias sedes commode venire et ab illis commode recedere possint;

c) inter cancellos ecclesiae et sedilia sufficiens *spatium liberum* sit, ut durantibus sacris functionibus iuventus utriusque sexus ibi morari atque invigilari possit;

d) sedilia in quolibet *angulo* ecclesiae, vel *immediate ad altaria* minora collocare non licet;

e) sedilia e *lignis* firmis et durabilibus confiantur; suadetur lignum querceum; sedilia obducere coloribus non licet, color ligni magis placet; sedilia stabilitatis causa in *podio* 7—10 cm alto infigantur;

f) *forma* sedilium stilo ecclesiae correspondeat; pars conversa ad navim ornamentis c. gr. imitatione foliorum distinguatur, at cavendum est, ne in acumen exeat;

g) *mensurae* singularum partium seligantur tales, ut fideles commode sedere, genuflectere et stare valeant; experientia teste *scabella*, quae *aqua*, non vero inclinata sint, a *podio* non distent plus quam 13—17 cm, eorum latitudo sit 23—30 cm, atque ita collocentur, ut a margine pulpiti pro manibus circa 15 cm proemineant; *pulpitum* distet a *podio* 80—86 cm eiusque latitudo sit circa 15 cm, etiam *pulpitum* non sit inclinatum, sed aequum; *sella* distet a *podio* 46—48 cm eius latitudo sit 30—35 cm; ab uno arcu sellae ad alterum sit distantia 80 cm; longitudo vero sedilium a spatio ecclesiae definitur;

h) *nemini* fideliū licet *proprium* sedile absque licentia obtenta a parocho in ecclesia collocare, neque parochus facilis sit in licentia hac concedenda.

5. De confessionalibus.

Confessionalia administrando poenitentiae Sacramento inserviunt, quapropter omni ex parte sanctae huic destinatiōni respondere debent. Parochi *attendant*:

a) cesseret illa incredibilis *negligentia*, qua praeteritis temporibus confessionalia tractari solebant;

b) locum quod attinet, in quo confessionale collocare oportet et decet, patens sit ita, ut ab omni plebe collecta in ecclesia videri possit; vituperatur consuetudo eligendi pro confessionali locum post altare maius, quae consuetudo solummodo in ecclesiis antiquioribus, in quibus aliis locus aptus inveniri non posset, vix toleratur;

*c) dissuadetur ponere confessionale in *sacristia*, ubi non nisi surdi vel surdastri ad confessionem admittantur; si vero aliis locus in ecclesia pro confessionali haberi non posset, tunc in *sacristia* confessio nonnisi ianuis apertis excipiatur;*

d) neque ad ianuas ecclesiae confessionalia collocentur, nisi parvo atrio ibidem constructo aëris permeatus impeditur;

e) in restaurandis vel reaedificandis ecclesiis iam in earum delineamentis ratio habeatur loci pro confessionalibus;

f) forma confessionalis sit simplex quidem, at nihilo minus elegans et artificiosa; nam confessionale constans ex asseribus simplicissimo modo coniunctis neque placet neque sanctae destinationi respondet;

*g) dimensiones seligantur tales, quales commoditas tum confessarii tum poenitentis requirit; spatium pro sacerdote ita sit *profundum*, ut confessarius pedes commode protendere valeat, nimirum 90—110 cm, at solummodo in inferiori parte, in superiori vero inde ab *altitudine* ianuae profunditas minor sufficit; *sedile* pro confessario distet a podio 46—50 cm, profunditas sit 40—45 cm, latitudo vero 80—85 cm; *asser pro fulcimento brachii* sit movibilis, ut pro opportunitate plus vel minus alte protrudi possit; ordinarie distet a podio 80—85 cm, eius latitudo sit 10—15 cm; ex utraque parte confessarii in pariete dextero et sinistro confessionalis *crates* sint et quidem ita formatae, ut conversatio confessarii cum poenitente facilis sit; *latitudo cratis* distantis a fulcimento pro brachiis 12—15 cm sit 25 cm, altitudo vero 40—50 cm; ex altera parte parietis est locus pro poenitente, qui genuflexus confitetur, cuiusque commoditas requirit, ut *genuflexorum aequum non proclive* a podio non distet nisi 20 cm, at latitudo eiusdem sit 30—40 cm, *asser pro fulcimento bra-**

diorum distet a podio 80—85 cm, sitque a tergo spatium, ut pedes commode protendantur;

h) quoad formam extrinsecam confessionale cum stilo ecclesiae concordet constetque e tribus partibus, sc. e parte media pro confessario, quae in superiori parte tecto concluditur, tunc e partibus ad dexteram et sinistram, quae partes tecto minori finiri, vel in superiori parte apertae esse possunt; locus pro poenitentibus e parte ecclesiae instructus sit angusto pariete, quo facies poenitentis contegatur; ad crates tum ex parte confessarii tum ex parte poenitentis ostiolum ita appendatur ut ecclesiam versus aperiatur, ne vox poenitentis vel confessarii a circumstantibus percipiatur;

j) dissuadentur confessionalia valde ampla ad instar parvi habitaculi: id valet de usu claudendi confessionale porta vitrea tum ex parte confessarii, tum ex parte poenitentis, nam talis usus a formis consuetis nimis elongatur, neque praecepsis ecclesiae de loco aperto conformis esse videtur; locus supra ianuam, qua confessarius in confessionale ingreditur, patere potest vel velo coloris violacei instrui, prout apud nos consuetudo fert immemorabilis.

6. De baptisterio.

In baptisterio aqua benedicta pro baptismate asservatur, immo baptismus ipse super illud vel ad illud conferri debet; ideo baptisterium sanctae huic destinationi omnino respondeat. Quapropter parochis *inculcamus*:

a) praeteritis temporibus etiam baptisteria negligebantur legesque ecclesiae desuper latae haud observabantur;

b) locus baptisterii sit prope ianuam ecclesiae, conspicuus et cancellis a reliqua parte ecclesiae separatus; si fieri potest, sacellum (v. gr. in infima parte turris) pro baptisterio collocando destinetur;

c) baptisterium lapideum sit, saltem pars eiusdem superior, in qua aqua baptismatis continetur, ne a ligno paullatim imbibatur; immo quando lapis non satis solidus est, tunc in caverna eiusdem vas inseratur stanneum vel aereum stanno obductum;

d) ponatur vero baptisterium saltem *super unum gradum* sitque coopertum *firmo operculo*, quod semper clausum maneat clave remanente penes parochum;

e) baptisterium sit *artefactum*; pars continens aquam benedictam *rotunda* esse potest vel *angulata*; *operculo* cura maior adhibeatur, quod variis *figuris* v. gr. Ioanne baptizante ornari potest;

f) *res* ad functionem baptismalem necessariae: sal benedictum, abstorsoria, bombacium, cochlear vel vasculum pro aqua haurienda, vestis alba baptismalis, olea ad baptismum praeparata in armario asserventur, quod in pariete ecclesiae immediate ad baptisterium artificiose construitur; ubi vero turris super baptisterium sat ampla et sat alta iam existit, nihil obest, quominus res praefatae in illa custodiantur;

g) suadetur, ut *cavitas baptisterii in duas partes dividatur*; sinistra contineat aquam benedictam, dextera instructa sit parvo canali, ut aqua benedicta baptismō collato per illum diffluere possit in piscinam; secus vero aqua baptismalis recipiatur in vase mundo, quod capiti infantis subiicitur, unde postea in piscinam profundatur.

7. De choro cantorum.

Chori cantorum nomine intelligitur locus, in quo organum ponitur atque cantores collocantur. Relate ad hunc chorū parochos monemus:

a) *Specialem curam habeant scalarum*, quibus in chorū ascenditur; illae ab intrinseca, non vero extrinseca parte ecclesiae construantur;

b) scalae simul cum parietibus, quibus illae adhaerent, persaepe valde sordidae immo et dirutae relinquuntur, quod ob ecclesiae sanctitatem dedecet;

c) *sub scalis receptacula pro scopis, purgamentis aliisque rebus nullo modo permitti possunt*;

d) quantum fieri potest, saltem in novis ecclesiis, chorus tantummodo *pro organo et pro cantoribus* destinetur, quam ob rem scalae ostio claudantur; clavis ostii sit in manibus organoëdi;

e) si vero ecclesia nimis angusta vel antiqua consuetudo dorum etiam pro fidelibus postulat, tunc parochus provideat, ne tempore cultus divini scalae a iuvenibus occupentur atque ne ingressus ad chorum cuilibet pateat, sed nonnisi cantoribus et viris;

f) in choro ipso cantores *proprium septo munitum locum occupent*, ad quem praecipue propter cantatrices facilis sit aditus, patens atque sine latebris;

g) *sedilia* pro fidelibus ita disposita sint, ut fideles in choro quasi in conspectu omnium sedeant, nemo vero moretur in angulis obscuris vel in loco a tergo organi.

8. De quibusdam aliis obiectis.

Videtur saltem utile, adhuc de quibusdam aliis obiectis breviter tractare atque parochos ad convenientem illorum formam *attentos reddere*:

a) In ecclesia tot sint *ianuae*, quot naves, ad minimum autem duae esse debent; ianua navis maioris prae ceteris tum magnitudine tum ornatu distinguatur; *valvae ecclesiae ad extra aperiantur*, ut populus imprimis imminentे aliquo periculo absque pertimescenda obstructione facile et celeriter ex ecclesia exire valeat; dissuadentur vero ianuae positae ex adverso et quidem propter nocivum aëris permeatum;

b) prope ad maiorem ianuam intra, non extra ecclesiam *labrum* sit cum aqua benedicta; labrum innitatur columnae, sitque confectum secundum regulas artis, neque nimis altum, non ultra 1 m, ut infantes quoque aquam sumere valeant; labrum saltem singulis hebdomadis *mundari* debet et nova aqua benedicta provideri;

c) in hac parte ecclesiae *parvum armarium* pro eleemosynis recipiendis poni potest; materia sit solida; adhibeatur ferrum, vel si est ligneum, ferro saltem obducatur; muro vel columnae tam firmiter adhaereat, ut mediis ordinariis avelli non possit; claustroque artificioso provideatur, ne a furibus facilis modo possit aperiri;

d) *pavimentum* ecclesiae pulchritudine et pretio superet pavimenta in palatiis saecularibus; adhiberi pro illo potest

sic dictum „cement“ vel „chamot“; lapides vero colorati et pulchre dispositi praeferuntur; nomina sancta, cruces, vel imagines Sanctorum in pavimento ne compareant;

e) *lampades* in stilo ecclesiae et artefactae ante altaria in tali altitudine dependeant, ut a fidelibus transeuntibus haud facile attingi possint; dum lampades tales ante altaria suadentur, ante altare, in quo Sanctissimum reconditur, praecipiuntur et quidem duo vel saltem una;

f) in parietibus ecclesiae *tabulae viae crucis* non desint, quae margine lignea, fors deaurata in stilo ecclesiae cinctae sint; monendum, *crucem* tabulis affixam ad lucrandas indulgentias absolute necessariam esse; tabulae depictae sint super linteum, non autem super chartam; ad arcendam humiditatem ita appendi debent, ut intra illas et murum aër permeare possit;

g) *duodecim cruces*, quae apostolorum dicuntur in signum et memoriam consecrationis, e parietibus numquam deleantur;

h) ad illuminandam ecclesiam adhiberi potest sic dictum »gas« vel lux electrica vel quaelibet alia, dummodo species arceatur theatralis et dummodo super altare candelae cereae praesto sint;

j) diximus iam muros ecclesiae *coloribus* obducere licetum immo exoptatum esse; pictura sive ornamentalis sive figuralis decens sit atque adaptata structurae ecclesiae ita ut partes architectonicae magis compareant.

9. De munditie in ecclesia.

Cum ecclesia domus sit Dei viventis, patet diligentiam maximam adhibendam esse, ut *mundities in omnibus ecclesiae partibus et obiectis* servetur; quapropter parochos *monemus*:

a) Cura adhibeatur *altarium* cum mensae, tum tabernaculi, statuarum et columnarum, a quibus re molli v. gr. cauda vulpis, vel fasciculo pennarum vel linteamento *pulvis qualibet hebdomada* removeatur;

b) idem observandum quoad *ambonem, sedilia et confessionalia*; podium scannorum *aqua* mundare oportet; confessionalia saepe inveniuntur *squalida* praesertim ex parte confitentium;

c) doceatur populus, *ne pavimentum ecclesiae, domus Dei sputis conspurget; at nihilominus pavimentum non solummodo scopis, sed qualibet hebdomada etiam aqua mundetur;*

d) *baptisterium* siccum teneatur, mundum sit a pulvere tum extrinsece, tum intrinsece; munda sint vasa et linteamina in baptimate adhiberi solita;

e) neque *atrium ecclesiae* cum turri negligatur, etenim ad ecclesiam pertinent;

f) ne lampades et pavimentum sub illis *oleo* inquinentur, aedituus cautus sit in oleo infundendo et luce paranda; *pars quoque lampadis vitrea saepe purgari* debet, ut nitida pellucidaque appareat;

g) de scalis chori deque parietibus ad illas iam diximus; at parietes quoque totius ecclesiae simul cum fenestris saepius a pulvere et sordibus mundentur.

§ 4.

De ordine quoad sedilia.

De *usu sedium* in ecclesia saepe *lites* graves fideles inter et parochum exoriuntur, ob quas non solummodo parochus molestias sed etiam cura animarum detrimentum patitur.

Ad praepediendas tales lites iam anno 1898¹⁾ ordo de elocatione et usu sedium ecclesiasticarum stabilitus et publicatus est. In congressu decanorum anno 1906²⁾ de illo ordine disceptatio inducta atque ad finem deducta fuit. Praesens vero Synodus ordinem *praefatum nonnullis additis emendationibus probat atque publici iuris* facit.

a) *Sedilia ecclesiastica* utpote apparatus ecclesiasticus *ecclesiae propria* sunt. Reditus e locatione provenientes sunt pars proventuum ecclesiae. Expensae pro sedilibus restaurandis vel conficiendis solvendae sunt e' redditibus ecclesiae; ad cavendas lites collocare in ecclesia proprium sedile nemini licet;

¹⁾ Škof. List, 1898, pg. 175.

²⁾ Škof. List, 1906, pg. 95.

b) de *sedibus disponit parochus et vitrici*, quibus administratio bonorum ecclesiae commissa est; *fideles* non acquirunt nisi *ius utendi* determinatis sedibus; quapropter sedes pro lubitu mutare, vel sedes vendere, vel usum earum quocumque modo in alios transferre, nemini fidelium permittitur;

c) *ius vero utendi* sede in ecclesia in nostra dioecesi regulariter et ordinarie *publica auctione* ab illo acquiritur, qui maiorem summam pro illa promittit; acquiri autem non potest nisi *a personis physicis*, non vero a domo vel a familia: e personis praferuntur *possessores*, utpote qui pro necessitatibus ecclesiae prae ceteris contribuere obligantur; deinde veniunt personae, quae in parochia *stabili modo* habitant; *non parochianis sedes ordinarie non venduntur*; quaelibet persona tantummodo *unam* sedem acquirere potest et quidem mas in latere virorum, femina vero in parte mulierum;

d) in sacristia, in presbyterio et in choro destinato cantoribus sedes numquam venduntur excepto casu necessitatis; sed etiam in casu necessitatis non venduntur ad dies vitae, sed solummodo ad unum annum, si taxa conveniens solvit;

e) *gratis* reserventur sedes quaedam pro patrono, pro vitricis, pro magistris, qui discipulos inspiciunt et fors pro una vel alia adhuc persona; patrono sedes in honoratori loco destinetur; famulae parochi reliquis parochianis ne praefrantur; in parochiis, ubi maior confluxus extraneorum praecipue tempore vernali vel aestivo habetur, horum ratio habeatur, ne a cultu divino arceantur; chorus ecclesiae, vel sacristia, vel oratoria ad dispositionem extraneorum parata esse possunt;

f) *ius ad sedem cessat*: 1. per mortem possessoris, 2. per eiusdem voluntariam renuntiationem, 3. per apostasiam a fide catholica, 4. per eius emigrationem ex parochia quocumque de causa;

g) parocho ius est, possessori *adimere facultatem* utendi sede: 1. si possessor taxam ter admonitus non solverit; 2. si quis ius utendi sua sede arbitrio proprio in alios transtulerit; 3. si proprio marte in sede aliquid immutaverit vel illam obseraverit; 4. si per longius temporis spatium a parochia absens fuerit e. gr. si laboris causa in Germaniam vel in Ame-

ricam profectus ibique per quinque annos commoratus fuerit, quin nuntium de se dederit; 5. si quacumque ex causa situs sedilis in ecclesia mutari, vel sedile tolli debuerit, quo in casu possessori alia sedes vacua, vel prima, quae vacabit, cedi debet; 6. si possessor sedis excommunicationem incurrit;

h) publica auctio sedium vacantium ad *finem decembris* stabiliatur ita, ut novus ordo semper 1. januarii inchoetur; auctio sedium bis duabus dominicis terminum praecedentibus publicetur; in hac publicatione sedes elocandae determinate designentur;

j) praeter sumمام in auctione promissam atque infra annum solvendam quotannis ad finem anni alia quoque taxa, prouti in singulis parochiis usus obtinuit, solvi debet; si decurrente anno sedes quacumque ex causa vacua evaserit, taxam ad finem anni persona praestabit, quae illam occupavit, quo in casu familiares prioris possessoris p[re]feruntur;

k) nemo petere potest restitutionem summae in auctione stabilitae, si sedem amiserit; excipitur casus mortis vel emigrationis, si sede magno pretio obtenta nondum per decem annos usus est; quo in casu pretium in decem partes divisum possessori pro rata temporis restituitur;

l) litibus exortis partes recursui ad potestatem civilem renuntient, sed iudicio decanali tamquam primae instantiae, vel iudicio officii dioecesani tamquam secundae et ultimae instantiae semet subiiciant;

m) parochus librum habeat, ubi singulae sedes, possesores et solutiones pretii in perpetua evidentia habentur;

n) ordo sedilium in qualibet parochia huic ordini conformetur; at in nonnullis parochiis demum decursu temporis per prudentem agendi modum parochi et vitricorum abusus vigentes tolli atque ordo praesens vim obtinere poterit; abusus vero sunt:

1. Si sedes a possessoribus *quasi in dominio* tenentur, ita ut ab illis vendi vel haereditario modo transferri in alios consueverint, quo in casu non raro ab una persona plures sedes possidentur atque pro pretio aliis elocantur;

2. si sedes *domui definitae ita adscripta* est, ut novus possessor domus sedem quoque soluta parva taxa obtineat; *ad tollendos hos abusus parochus omnem conatum adhibeat et quidem:*

in 1. casu ecclesia *sedes recuperare* quo meliori modo contendat; fors soluta pecunia id obtinebit, fors possessorem ad renuntiationem vel ad testandum ecclesiae permovebit, in omni vero *casu mercatus cum sedibus ecclesiastis stricte prohibetur;*

in 2. casu definitur, mutato possessore sedem fore vacuam, nisi novus possessor *filius* sit prioris possessoris, quo in casu filius sedem patris, uxor autem sedem matris, retinere poterit, at pro *taxa annuali maiori* pree illa, quae a ceteris fidelibus tribui solet; haec taxa maior a parocho et vitricis determinatur, a decano vero confirmatur vel corrigitur;

o) praedictus ordo singulis annis immediate ante auctionem fidelibus publicari debet, ut ortis forsitan litibus nemo ad ignorantiam tamquam causam excusantem provocare possit;

p) libertatem ecclesiae in disponendis sedilibus ecclesiasticis lex quoque civilis agnoscit; potestas civilis tunc solum negotiis super sedilibus ecclesiasticis semet ingerere posset, si ordinatione potestatis ecclesiasticae lex civilis laederetur aut si stante hac ordinatione ecclesiastica ordo publicus perturbetur; praxi autem edocemur, iura privata emptione, locatione, fundatione aut quocumque legali modo acquisita et in usum deducta circa possessionem certae legis ecclesiasticae ad partes iudicis civilis pertinere posse.

§ 5.

De arte colenda.

Religio atque artes intime coniunctae semper et ubique reperiuntur. Quid mirum, si religio christiana utpote perfectissima artem non solummodo foverit, sed ad perfectionis apicem evexerit.

Sacerdotes, ministri religionis, *artes pro posse promovere* conentur, nam tali studio ceteris addito occupationibus munus suum sacerdotale penitus adimplebunt.

Ut vero omnes sacerdotes ad culturam artis excitentur, propterea hac *Synodo admonentur*:

a) Clerici studiis artis ecclesiasticae sollerter vacent, ut principiis genuinis imbuti ad opera artium in ecclesiis promovenda magis evadant idonei;

b) sacerdotes in variis constituti vocationibus *studia artium minime negligant*, de quibus in conventibus Sodalitatis disceptare haud absque re erit;

c) in itineribus susceptis gressus suos ad *templa atque ad musea* dirigant, quae operibus artificiosis abundant, ut solidam peritiam et subtile de artis christianaे operibus iudicium sibi acquirant;

d) in renovandis vel comparandis novis obiectis pro ecclesia v.gr. *sculpturis, picturis, lampadibus, altaribus, fenestris, ianuis artis semper meminerint nec opus nisi viris in arte peritis perficiendum committant;*

e) ne vero conservanda tollantur, abolenda retineantur et restauranda deformentur, nullus parochorum opus arte conficiendum in ecclesia suscipiat nisi consulta commissione dioecesana pro arte fovenda; cui lineamenta obiectorum via ordinariatus obtinendae approbationis causa transmittantur.

§ 6.

De museo dioecesano.

Inter omnes constat, *museum*, in quo monumenta artis conservantur, plurimum adiuvare pulchri venustique sensum. Nam cum singula artis praecepta pluribus exemplis illustret, deinde cum historiam artium sub oculos subiiciat, iudicium elegans excolit et acuit ac animam artis amore imbuit.

Insuper *pietas* quoque requirit, ut res artificiose, quae vetustate et longo usu detritae sunt atque in usu versari desierunt, nihilominus *conserventur*, non autem vilissimo pretio veneant vel omnino reiiciantur: conservari vero vix poterunt, nisi conveniens museum praesto sit.

Quapropter haec nostra *Synodus* sacerdotibus inculcat:

a) Obiecta, quae ad ecclesiam pertinent, licet trita vel vitiata videantur, *in consultis peritis, praeprimis inconsulta*

dioecesana commissione vendere vel prorsus abiicere nullo modo licet;

b) altaria, imagines, sculpturae, paramenta, calices, si commissio iudicaverit, reficiantur et quidem nonnisi a viro perito, qui obiecti characterem antiquum servare studebit;

c) si vero quacumque e causa refici nequeunt, facultate obtenta ab ordinariatu, museo dono dari possunt; proh dolor, quod museum dioecesanum proprias aedes nondum habeat; at in museo provinciali in Rudolphino locus separatus operibus artis ecclesiasticae destinatus est, in quo illa conservationis et studiorum causa custodiuntur, iure proprietatis manente penes museum dioecesanum vel ecclesiam;

d) exoptantur etiam exempla (»copiae«) obiectorum, delineamenta altarium, ecclesiarum, sacellorum, suggestuum, baptisteriorum, scannorum, calicum aliorumque obiectorum sive ad architecturam, ad sculpturam, ad picturam, ad artem fabri lignarii, vel fabri aerarii, fabri claustrarii, vel ad artem pertineant textrinam; etiam photographiae talium obiectorum valde desiderantur;

e) si vero sacerdotes recentia opera artefacta possident, bonum peragerent opus, si inter vivos vel mortis causa illa museo donare vellent.

Cap. II.

De cultu divino publico.

Cum ecclesiae *cultui divino*, privato et publico, destinatae sint, ideo Synodus nostra absolutis ordinationibus relate ad ecclesiam ut aedificium, apte de cultu divino, qui in ecclesia ad sanctificationem fidelium et gloriam divinam peragi solet, tractabit. Omisso cultu privato non aget nisi *de cultu divino publico*.

Ad cultum divinum publicum pertinent imprimis oblatio sancti missae sacrificii, concio et instructio catechetica, nec non aliae piae devotiones; quapropter Synodus *de ordine omnium functionum necessaria mandat*.

Ordo quamplurimum non solum a curato animarum, sed etiam *ab aedituo* dependet, quare *de aedituo* quoque Synodus necessaria praescribat.

Insuper ad cultum fovendum nec non ad pulchritudinem et vim specialem eiusdem ostendendam etiam *cantus* adhiberi solet; quam ob rem regulas *de cantu ecclesiastico* Synodus praeterire non potest.

§ 1.

De ordine cultus publici.

Ordo cultus publici, qui in dioecesi Labacensi adhuc nunc vim habere deberet, decreto episcopi Antonii Aloysii de die 31. Octobris 1827 praescriptus fuit. Haud mirum si iste ordo exortis decursu annorum indigentiis novis non sufficit. Qua causa praedecessor noster, princeps - episcopus Jacobus anno 1897. conferentiis pastoralibus thema de ordine cultus divini mutando et perficiendo proposuit. Ast propter translationem suam ad sedem archiepiscopalem Goritiensem intentionem suam relate ad ordinem cultus divini publici exequi non potuit, sed executionem Nobis, indigno eiusdem successori, reliquit.

Nos vero in hac Synodo mandare volumus omnia, quae necessaria esse videntur ad stabiendum tum ordinem *in genere*, cum ordinem quoad *sanctum Missae sacrificium, conciones et catecheses*, quoad *expositiones Ss. Sacramenti* et quoad *alias devotiones* tum in ecclesiis *parochialibus*, tum in ecclesiis *filialibus*.

1. De ordine cultus divini in genere.

De servando *ordine cultus divini in genere mandamus*:

a) ad functiones sacras populus sonitu campanarum invitetur et quidem sequenti modo:

in *festis suppressis, diebus dominicis et festis de praecepto* invitatio fiat *duabus vicibus*; *primo una hora* ante initium missae vel aliae *devotionis communis* in parochia cum sonitu unius campanae minoris vel maioris pro ratione festi; *secundo uno quadrante* ante initium sonitu duarum, plurium vel omnium campanarum pro maiore vel minore festivitate;

ad missas quotidianas sufficit invitatio unica, quadrante ante initium, sonitu duarum campanarum;

excipiuntur ecclesiae cathedralis, collegiata et conventuales, in quibus ordo praescriptus non valet nisi ad missas et devotiones principaliores pro populo parochiano, si capitulois et conventui parochia adnexa est, secus pro populo in genere;

usus immemorialis, qui in quibusdam parochiis obtinuit, diebus dominicis et festis ad missam principaliom invitandi fideles sonitu campanae prima vice duabus horis ante initium, non interdicitur;

b) recursu ultimi quadrantis ab aedituo, a ministrantibus et a celebrante omnia praeparentur ita, ut sacrum vel alia functio immediate ad pulsationem horae inchoari possit; quo modo, addita fors una alterave admonitione, populus temporis determinato assuescat properabitque suos gressus, ne cum scandalo fidelium nimis sero in ecclesia compareat;

c) in diebus dominicis atque in festis de praecepto signo maioris campanae initium ss. missae annuntiabitur; pars quoque missae principalis, nimirum consecratio fidelibus pulsu campanae maioris et quidem pro dupli consecratione dupli intervallo indicabitur;

d) aliae pulsationes decurrente ss. missae sacrificio prohibentur; prohibitur praeprimis abusus, qui in multis locis obtinuit, ut sc. ad varias ss. missae partes omnes campanae fors modo artificiose pulsentur et quidem a iuvenibus, qui in turridentes periculum incurront, quonimus praecepto ecclesiastico de audiendo sacro satisfaciant;

e) signo campanulae, quae a ministrantibus pulsatur, populus in ecclesia collectus ad principaliores partes ss. missae, sc. ad offertorium, ad sanctus, ad elevationem et ad communionem attentus reddatur; maiores campanae, quae fere ubique usu venerunt strepitique suo nervos fidelium irritare solent, ab altari amoveantur;

f) si eodem tempore plures sacerdotes celebrant, ut in ecclesiis cathedrali, conventionalibus, vel in ecclesiis, ad quas peregrini confluunt, saepe evenit, ad praefatas partes ss. missae campanula non pulsetur, nisi ad sacram principale, ad sacra

vero reliqua campanula non pulsetur nisi ad elevationem et quidem pulsatione brevi haud strepitosa, ne fideles in devotione vehementer perturbentur.

2. De ordine quoad missam.

Praeter ordinem in genere *specialis quoque ordo quoad singulas functiones, quae ubique in omnibus parochiis praescriptae sunt, a Synodo nostra determinari debet; nam uniformitas, quae ab omnibus desideratur, alia via stabiliri in dioecesi haud poterit. Quoad missam animarum curatores ad sequentes attendant ordinationes:*

a) missa quotidiana saltem una tempore statuto celebretur; tempus determinetur ita, prouti populi non vero sacerdotis commoditas postulat; exceptiones necessariae, quae in parochiis cum duobus vel pluribus sacerdotibus vix contingent, die dominica ex ambone voce intellegibili publicentur;

b) idem observetur diebus dominicis et festis de pracepto; in parochiis, ubi unus tantum residet curatus, hora pro opportunitate populi stabilita dicatur missa parochialis;

parochi vicini tempus missae ita determinent, ut in una parochia missa celebretur mane, in altera vero serius ita, ut omnes fideles utriusque parochiae adscripti sive priori, sive posteriori sacro intervenire queant;

propter Sacramentorum susceptionem omnino suadetur, ut in vicinis parochiis missa alternatim una die dominica mane sequenti vero serius celebretur;

c) in parochiis, quibus duo adscripti sunt sacerdotes, diebus dominicis et festis de pracepto duo sacra peragantur et quidem eo temporis intervallo, ut ii fidelium, qui mane custodes domorum fuerint, secundo commode interesse possint;

d) in parochiis vero, ubi plures adsunt sacerdotes, tempus pro tertio et ulteriori sacro a parochio ita definiatur, ut a fidelibus arceatur periculum, ne indifferentes contenti sola missa praedicationem verbi divini cum magno detimento suae animae numquam vel vix unquam audiant: unum sacrum suadetur statim absoluta prima missa, ut communiantes pro gratiarum actione assistere illi possint;

e) in nostra dioecesi pro sacro faciendo determinatur hora 6. et 10., rarius hora 9., quod tempus semper stricte observandum, nec umquam propria voluntate mutandum est, nam experientia docente tali modo indigentiis fidelium optime provisum est;

f) missa parochialis est missa, quam parodus, qui pro populo illam applicare tenetur, celebrat; licitum est, ut parodus primum vel secundum sacram pro lubitu sibi eligat; ast licitum non est, ut parodus sacris, ad quae populus parochianus confluit, relictis cooperatoribus vel aliis sacerdotibus, ipse alia hora sibi magis conveniente absque assistentia populi celebret;

g) missa pro sponsis, vel missa in die depositionis defuncti, die septimo, die anniversario, vel missa a privatis ex optata celebrari poterit tempore condicto cum partibus, dummodo diebus dominicis et festivis sacram pro fidelibus praeceptum nullo modo turbetur.

3. De ordine concionum.

Conciones sequenti modo instituantur :

a) Concio ordinarie infra missam post Evangelium habebatur; quando vero tempore missae Sanctissimum expositum est, praceptis ecclesiasticis magis convenire videtur, ut concio missam praecedat; praecipitur autem concio ad utrumque sacram; si circumstantiae loci, e. gr. in urbibus, tertiam missam circa horam octavam expostulant, summopere suadetur, ut cum hoc sacro concio brevis per 10 minuta coniungatur;

b) thema concionis ratione dominicae vel festi seligatur; in sacro primo commendantur homiliae; summopere exoptantur conciones liturgicae, quibus cursus anni ecclesiastici cum varietate festorum, quae diversam indolem prae se ferunt, illustratur; pro indigentiis loci vel temporis conciones dogmaticae, nec non apologeticae saepe desiderantur;

c) current animarum pastores, ut decursu temporis, fors decursu 5 vel 6 annorum omnes doctrinae fidei et morum saltem principiores, ab illis pertractentur; quapropter thema cum dispositione in speciali libro describatur, in quo pro qualibet dominica et pro quolibet festo unum folium praesto sit;

d) mandamus, ut in qualibet parochia quotannis per decursum trium mensium conciones catecheticae instituantur, quibus quolibet anno pars quinta catechismi ergo unum caput sistematicae explanetur atque per decursum quinque annorum totus catechismus maior concionibus catedheticis absolvetur; a parochio determinetur, utrum tales conciones in sacro primo et secundo an in uno tantum habeantur; tempus quoque anni a parochis determinetur illud, quo preeprimis viri et iuvenes magis domi morantur nec non ad ecclesiam confluunt;

e) sacerdos postquam ambonem ascendit, salutat populum verbis: Laudetur Jesus Christus, signat semetipsum signo crucis, genuflexus orat Pater et Ave, surgens publicat ordinem pro missis aliisque functionibus decursu hebdomadae, annuntiat ieunia, varias collectas proclamatque sponsos, tunc legit epistolam et evangelium, ad cuius initium signat se signo crucis omissis verbis ad hoc signum consuetis, osculaturque librum evangelii; quibus peractis sequitur concio; post concionem genuflexus orat Pater Ave, semel vel pro circumstantiis etiam saepius atque virtutes theologicas, benedit populo, descendit in sacristiam, ubi paramenta sumit, proceditque ad altare et continuat missam;

f) ubi usus viget, ut post concionem variae commendationes instituantur, iste usus quam plurimum restringatur, ne tempus nimis protrahatur; eadem ex causa communio, saltem diebus, quibus plures ad sacram mensam accedere solent, non infra missam, sed ante initium missae distribuatur, ast ita ut missa nullo modo retardetur vel immediate post missam;

g) missa et concio spatio unius horae absolvantur, exceptis diebus festivis, in quibus ad horam cum dimidia extendi possunt.

4. De ordine catechesis dominicalis.

Maximi momenti, haud minoris ac conciones, catecheses quoque habeantur; ut vero fructum suum assequantur, modo sequenti reformatur:

163
 a) diebus dominicis post meridiem hora statuta ad parvulorum aequae ac adulorum instructionem *catechesis* instituatur, atque *materiae in catechismo maiori contentae* ita distribuantur, ut per decursum *quatuor annorum* omnis materia absolvatur; *anno quinto historia sacra antiqui, anno sexto illa novi foederis*, prouti in evangeliis et in actibus apostolorum continetur sequendo exegetas, qui cum ecclesia sentinut, *explanetur*;

b) *explanatio autem non fiat per modum catecheticae concionis, sed per modum catecheticum*: materia tractanda ab initio brevibus verbis concepta proponitur, tunc quaestiones per *ordinem catechismi* pronuntiantur, responsa ad singulas proferuntur, lucide declarantur, solide demonstrantur, internusque *nexus quaestionum* ad invicem et cum *responsis* detegitur, ad finem cum applicatione ad vitam quotidianam atque cum exhortatione *catechesis* concluditur;

c) *catechesis* incipit cum oratione *Pater et Ave*; post *catechesim* sacerdos cum populo repetit illa capita doctrinae christiana, quae omnibus scitu necessaria sunt atque ad *finem libri impressa* inveniuntur; quae capita in *quatuor partes* dividantur, ut qualibet dominica *una tantum pars* pie pronuntietur; postea *catechesis* cum *Pater et Ave* concluditur;

d) *catechesi finita recitantur litaniae omnium Sanctorum* coram exposito *Sanctissimo*; valde desideratur nec non summopere commendatur, ut data benedictione et *Sanctissimo recondito in ecclesia retineantur pueri et puellae, qui annum aetatis decimum sextum nondum compleverunt*, quibuscum sacerdos modo magis familiari et magna cum affabilitate *catechesim breviter* repetit illosque brevi sed cordiali applicatione facta adoratione Ss. Sacramenti dimittit; ubi autem talis instructio minus conveniens iudicatur, praedicta iuventus infra festum Nativitatis Domini et Paschatis saltem sexies ad instructionem *catechetica* convocetur;

e) *catechesis* cum orationibus et litanii *numquam ultra unam horam* protrahatur, ne populus ab illa avertatur; immo facta diligenti *praeparatione* parochus resp. *capellanus catechesim tam instructivam reddat*, ut non solum feminae et puellae, sed viri quoque et iuvenes ad illam attrahantur;

f) in festis vero de p^racepto, nec non in diebus dominicis, quae maiorem solemnitatem p^rae se ferunt v. gr. dominica Paschatis et Pentecostes, catechesis non instituitur, sed exposito Sanctissimo litaniae festo convenientes recitantur resp. cantantur et quidem in festis Domini litaniae Ss. Nominis Jesu, in festis Ss. Corporis Christi et Ss. Cordis Jesu litaniae de Ss. Corde Jesu, in festis b. Virginis Mariae litaniae lauretanae, in festis Sanctorum litaniae omnium Sanctorum.

g) quibus festis tempus postmeridianum utiliter adhiberi poterit pro conventibus Congregationis Mariana, vel tertii ordinis vel aliis utilibus devotionibus;

h) ab hoc ordine excipiuntur Dominicae in Quadragesima et Dominicae quatuor temporum, quibus loco catechesis via crucis peragitur;

j) excipitur quoque quaelibet 1. dominica cuiuslibet mensis, in qua hora pomeridiana destinata catechesi adorationi publicae Ss. Sacramenti utiliter consecratur;

k) ast dominicae mensis Maii nullo modo eximuntur sed catechesi per mediam horam addatur devotio maialis cum lectione et litaniis.

5. De ordine devotionum publicarum.

Decursu anni ecclesiastici variae devotiones publicae ad fovendam populi fidem et vitam christianam in usum venerunt; quae devotiones praecipue ultimis temporibus a die in diem multiplicantur.

Ne vero variae devotiones ab arbitrio dependeant populi vel singulorum sacerdotum atque pro lubitu assumantur vel omittantur, Synodus nostra ordinem devotionum publicarum necessario stabiliendum existimavit.

Quapropter pro nostra dioecesi sequentes devotiones celebrandas mandamus:

a) tempore adventus sic dictas missas »Rorate« summo mane et quidem quotidie in parochiis, ubi plures sacerdotes adsunt, saltem bis singulis hebdomadibus in parochiis, quibus tantummodo unicus sacerdos adscriptus est; missa Rorate celebretur modo solemniori;

b) *triduum in honorem St. Joseph*, patroni universae ecclesiae et patroni specialis Carnioliae; triduum hoc celebratur diebus 16., 17., 18. Martii, quibus diebus missa finita sacerdos Sanctissimum exponit, gunuflexus recitat orationem pontificiam in honorem St. Joseph, benedit populo cum Sanctissimo illudque reponit;

c) *devotionem mense Maio in honorem b. Virginis Mariae*; quae *devotio institui potest mane vel vespere, quotidie vel saltem sabbatis et diebus dominicis, prouti parochus perpensis circumstantiis prudenter iudicaverit*; cuius *devotionis observetur modus sequens*: mane ante missam, quae ad altare b. V. M. pulchre ornato nec non organis sonantibus celebratur vel vespere tempore statuto instituitur lectio vel concio brevis de b. V. M.; post missam resp. post lectionem exponitur Sanctissimum, recitantur resp. cantantur litaniae lauretanae, benedicitur populus, qui recondito Ss. dimititur;

d) *devotionem novemdialem in honorem St. Spiritus* ante festum Pentecostes, quae feria VI. post Ascensionem Domini inchoatur sequentique modo peragitur: finita missa exponitur Sanctissimum, recitantur orationes praescriptae et dato benedictione populus dimititur;

e) *devotionem infra Octavam Corporis Christi*, infra quam quotidie celebratur Missa coram Sanctissimo, quocum Missa terminata populo benedicitur; in urbibus nec non in maioribus pagis, ubi concursus populi maior praevideatur et revera obtinet, etiam vespere statuto tempore coram Sanctissimo litaniae de Ss. Corde Jesu recitari possunt;

f) *triduum in honorem Ss. Cordis Jesu* quod in die octava Ss. Corporis Christi incipit atque feria VI. in festo ipso et Sabbato continuatur, ut fideles ad solemnitatem ipsam, quae ruri a feria VI. in dominicam sequentem transfertur, omni cum pompa peragendam praeparentur; triduum hoc sequenti modo instituitur: vel mane finita missa coram Ss., vel vespere hora fixa litaniae Ss. Cordis cum orationibus pie recitantur, dein populo benedicitur, qui reposito Sanctissimo dimititur; suadetur saltem feria VI. in festo ipso missa solemnior cum brevi lectione vel concione de Ss. Corde Jesu;

g) solemnitatem in honorem Ss. Cordis Jesu vel in die ipso vel praecipue ruri dominica festum sequente; solemnitas fit modo, quo festa Paschatis, Pentecostes et alia primae classis per annum celebrantur; missa erit votiva de Ss. Corde Jesu cum Gl. et Cr. atque cum commemoratione Dominicæ; concio sit de Ss. Corde Jesu; post meridiem hora statuta Sanctissimum per unam horam publicae adorationi exponatur; uno quadrante ante finem huius horae cantantur litaniae Ss. Cordis Jesu, daturque benedictio ritu romano;

h) devotionem Ss. Rosarii mense Octobri resp. Decembri modo iam praescripto: infra missam recitatur pars Ss. Rosarii, missa finita exponitur Sanctissimum, recitantur litaniae lauretanae cum oratione pontificali in honorem St. Joseph, data benedictione Ss. iterum reconditur;

j) cultum Ss. Cordis Jesu in Ss. Sacramento qualibet prima dominica cuiuslibet mensis modo iam consueto: invitatis mane omnibus fidelibus hora determinata postmeridiana Sanctissimum solemniter exponitur adorationi; tempore adorationis fideles divisi in duos choros alternatim recitant preces e libro »Večna molitev«, initio vel ad finem addi possunt cantus convenientes vel recitari Ss. Rosarium; quadrante ante finem horae cantantur litaniae Ss. Cordis, quibus oratio cum consecratione Ss. Cordi adiungitur atque consueta benedictio ritu romano;

k) adorationem Sanctissimi per integrum diem ab hora sexta mane usque ad horam VI. vespere et quidem semel in anno in omnibus parochiis, bis in anno in quibusdam amplioribus, die ab ordinariatu iam determinato; quae adoratio peragi debet modo iam praescripto et usitato;¹⁾

l) quolibet sabbato tempore, quo »Ave Maria« pulsatur, litanias lauretanas coram Sanctissimo in pyxidi recluso, quibus finitis datur benedictio; quod saltem in iis parochiis observandum est, in quibus populus ad solemnitatem facile venire potest;

m) qualibet vigilia festorum de praecepto litanias convenientes eodem modo in iisdemque parochiis;

¹⁾ Vide Škof. List, an. 1904, pag. 109 sqq.

n) missionem popularem quolibet septimo, vel saltem quolibet decimo anno, modo a rectore praescripto cum missa quotidiana coram Sanctissimo, cum litanis, recitatione ss. Rosarii, visitatione viae s. Crucis et aliis, quae usu venerunt;

o) devotionem viae s. Crucis, qualibet feria VI. vel dominica in Quadragesima, et qualibet Dominica quatuor temporum, et quidem tempore determinato pro catechesi, quae tunc omittitur; in qua devotione preces ad singulas stationes pie recitabit sacerdos stans in ambone, ut a cuncto populo audiri atque intelligi possit; aeditus cum ministrantibus et cruce progreditur a statione ad stationem, dum populus in scandis stat vel genuflectit;

p) qualibet Dominica in Quadragesima conciones de passione Domini vel de aliis veritatibus, quibus populus ad compunctionem commovetur atque ad percipienda Sacra menta paschalia incitatur;

q) solemnitatem maiorem occasione primae communionis infantium, ad quam populus, praecipue parentes et cognati invitentur; infantes e loco, in quo colliguntur, solemnni pompa pulsantibus campanis in ecclesiam ad locum sibi designatum deducantur; post concessionem convenientem renovant vota baptismalia; solemnitas ss. missae a parocho determinetur; immediate ante communionem, quae infra missam administratur, brevis praeparatio ad sanctam actionem suadetur; post missam infantes saltem per unum quadrantem Deo gratias agant et quidem duce catecheta; postea dimittantur; post meridiem vero b. Virginis Mariae solemniter devoveantur;

r) expositio Sanctissimi diebus ante feriam IV. Cinerum, ubi per unum diem vel per omnes tres dies introducta est, probatur; quoad reliquas parochias summopere suadetur ut ad expianda peccata gulae et luxuriae Sanctissimum saltem semel exponatur et quidem vespere durante una hora, ad cuius finem recitantur vel cantantur litaniae Ss. Cordis et data benedictione Sanctissimum reponitur;

s) suadetur, ut maiori pompa celebretur communio generalis membrorum Congregationis Marianae et quidem quolibet anno bis sc. in festo utriusque patroni eiusdem: dies

festivus S. Familiae; devotio pomeridiana tertii Ordinis cum concione; commendatur devotio sex dominicarum in honorem St. Aloysii atque exercitia spiritualia pro singulis statibus;

t) tempore siccitatis vel imbrum permittitur parochis devotio, quam populus desiderat, v. gr. triduum cum missa coram Sanctissimo, vel processiones ad alias ecclesias;

u) devotiones hebdomadae maioris, praeprimis illae feria V. in Coena Domini, feria VI. et sabbato ad sepulcrum, solemnitas Resurrectionis cum processione, processio in festo s. Marci (litaniae maiores), processiones in triduo rogationum (litaniae minores) atque processio in festo Ss. Corporis Christi modo consueto instituantur.

6. De ordine in expositione Ss. Sacramenti.

In nostra dioecesi Ss. Sacramentum saepius exponitur, quam in ordine cultus publici ex anno 1827. provisum est. Quoad ordinem expositionis singulae parochiae multum discrepant. Cum vero uniformitas quam maior desideratur, ideo tum quoad expositionem Sanctissimi, tum quoad benedictionem cum Illo Synodus nostra statuit:

a) expositio Sanctissimi fiat *in variis devotionibus* supra enumeratis sc.: in triduo in honorem St. Joseph, in devotione maiali, in devotione novemdiali in honorem S. Spiritus, in devotione ss. Rosarii, qualibet I. dominica cuiuslibet mensis post meridiem, in devotione adorationis per integrum diem semel resp. bis in anno, in triduo ante feriam IV. Cinerum;

b) *intra missam Sanctissimum exponitur; in festis I. cl. de praecepto excepta feria II. Paschatis et Pentecostes intra utrumque Sacrum; in festis II. cl. de praecepto atque fer. II. Paschatis et Pentecostes sub Sacro solempni; insuper in festo Ss. Familiae atque in festo Ss. Cordis Jesu item sub sacro principali;*

deinde *in Dominicis* quatuor temporum et Adventus, *in Dominica* infra Octavum Ss. Corporis Christi atque *in Dominica gratiarum actionis* sub sacro principali;

etiam *in omnibus feriis Adventus* sub Missa Rorate, *infra Octavam* Ss. Corporis Christi, qualibet *prima feria VI.* cuius-

libet mensis atque in triduo ad honorem Ss. Cordis Jesu, sub missa primitiarum, jubilaei sacerdotalis, installationis novi parochii; tempore missionis popularis vel exercitiorum; sub missa ad petendam pluviam vel serenitatem;

c) *benedictio cum Sanctissimo datur devotione vel missa finita et quidem in solemnitatibus maioribus ritu romano, in minoribus vero terminata stropa cantus in lingua populari;*

excipitur solummodo sacrum celebratum in festis I. cl. et in solemnitatibus, quae characterem I. cl. p[re]se ferunt, ut sunt primitiae, iubilaei et installationes novi parochi, quibus in casibus toleratur benedictio cum Sanctissimo tum ante tum post sacram et quidem hoc modo: celebrans intonat »Tantum ergo« resp. »Genitori«, cantores stropham canunt, stropa finita cantores et organum silent, silentio facto datur benedictio, omnino vero prohibetur benedictio in medio strophae;

d) hic ordo quoad expositionem Sanctissimi atque quoad benedictiones cum Illo parochias omnes in nostra dioecesi obligat; solummodo privilegia manent, quibus ordines et congregaciones aliunde modo legitimo ditatae sunt.

7. De ordine cultus publici apud ecclesias filiales.

In nostra dioecesi permulta ecclesiae filiales devotionem et fidem maiorum nostrorum testantur. Titulo fundationum vel titulo legitimae consuetudinis etiam sacrificium missae apud istas ecclesias saepe celebrari debet. Pastores animarum onus istud sat grave portare non recusabunt, populumque die dominica ex ambone ad sacrum invitabunt.

Usum praefatum Synodus nostra valde probat; illa non impugnat nisi abusus in excursionibus ad ecclesias filiales, quae diebus dominicis et festis de pracepto postulantur. Relate ad istos excursus Synodus nostra statuit:

a) Experientia docente concursus populi ad ecclesias filiales diebus dominicis et festis de pracepto *ansam praebet multis peccatis*: si consueto tempore missae sacrificium cum concione apud ecclesiam parochiale propter excusum ad ecclesiam filialem haberi non potest, multi fidelium domi manent et sacrum non audiunt; propter angustiam ecclesiae

filialis multi illuc venientium ecclesiam ingredi non possunt, sed coacti extra illam manent vel, prout saepius contingit, in cauponis potui, fors nimis, indulgent; iuvenes et puellae occasione hac ad conventus illicitos et peccaminosos agendos abutuntur; haud raro saltationibus et aliis illecebris, praeparatis ab hominibus lucri cupidis, viris praeprimis iuvenibus et puellis occasio proxima ad peccata praebetur gulae, ebrietatis et luxuria, quibus tunc dies Deo consecrati profanantur;

b) quapropter tales excursus ab ecclesia minime probantur, sed propter impetum populi ad praecavenda mala maiora *solummodo tolerantur*; valde desideratur, ut *populus, immo iam inventus scholaris* suis temporibus de periculis excursionum deque repugnantia ecclesiae contra illas edoceatur;

c) praecipitur ne *excursus novi inducantur*; existentes vero eo quod aboleri non possunt tolerantur, dummodo pericula peccatorum, tum a curatis animarum, tum a populo ipso omni meliori modo arceantur vel saltem minuantur:

d) hunc in finem Synodus haec secunda mandata primae Synodi, *quibus vel saltationes omitti vel excursus suspendi debent*, iterum renovat et stricte servanda denno inculcat;¹⁾

e) prohibitur vero *excursus in festis per annum principalioribus*, videlicet: in festo Circumcisionis D. N. J. C., in Epiphania, in festo Purificationis B. M. V., Annuntiationis B. M. V., S. Joseph, in Dominica Palmarum, Resurrectionis D. N. J. C., in festo Ascensionis, Dominica Pentecostes, in festo Corporis Christi atque in Dominica infra Octavam huius festi, in festo Ss. Apostolorum Petri et Pauli, Assumptionis, Nativitatis B. V. M., Dominica tertia Octobris utpote in Dedicatione omnium ecelesiarum, in festo omnium Sanctorum, Immaculatae Conceptiones B. V. M., s. Stephani protomartyris et in patrocinio ecclesiae parochialis;

f) missa, intra quam concio diei respondens habeatur, hora statuta solemniter celebretur; ast in ecclesiis filialibus, utpote in quibus Sanctissimum haud servatur, *missa coram Sanctissimo haberi non potest*; fideles vero compellantur, ut

¹⁾ Synodus I., pg. 49.

finito sacro nisi a cognatis et amicis invitati fuerint ad mensam, quo citius domum revertantur, ab omnique intemperantia vel alio excessu abstineant; *sacerdos bono exemplo praeluceat;*

g) in pluribus vero parochiis inveniuntur ecclesiae filiales quibus missa coram Sanctissimo permitti poterit; dantur sc. ecclesiae, ad quas populus *peregrinationis* causa concurrere consuevit, vel quae *alia e causa* exceptionem merentur; quapropter Synodus, quae tales ecclesias singulatim enumерare non potest, mandat, ut in *conferentiis pastoralibus anni proximi tales ecclesiae respectivi decanatus designentur, atque ut elenches earum, nec non dies, quibus missa coram Sanctissimo exoptatur, Ordinariatu probandus transmittatur;*

h) insuper Synodus mandat, ut in *istis conferentiis* revisioni subiificantur illae ecclesiae filiales, quae iam ab immemoriali tali privilegio gaudere contendunt; conferentiae perpendant, num ista privilegia servari adhuc debeant, an tolli; iudicia sua proponant Ordinariatu, a quo definitiva feretur sententia;

j) manent *processiones* ad ecclesias filiales, prouti decursu temporis ex voto, vel ex alia probata causa usu venerunt, quibusque pietas fovet;

k) praesupponitur ecclesiam, in qua cultus divinus peragendus est, in bono inveniri statu, parietes, altaria, sacristiam, paramenta aliaque requisita praescriptis ecclesiasticis respondere; nam secus functio sacra interdicitur.

§ 2.

De organoedo et aedituo.¹⁾

Ordo atque splendor cultus divini non solummodo a curato animarum, sed ab *organoedo quoque et aedituo* multum dependet. Quapropter parochi cura incumbit, ut personas idoneas seligat illasque de obligationibus earum rite instruat.

Quapropter Synodus non potest non praescribere ea, quae hos ministros ecclesiae concernunt. Aget vero Synodus

¹⁾ Škof. List, 1906, pg. 89 sq.

de collatione muneris, de vita eorum et relatione ad curatos et populum, de specialibus eorum obligationibus, atque de salario illis solvendo.

1. De collatione muneris.

Quaeritur de persona, quae organoedo et aedituo *munus iure* conferre potest. Sciant parochi :

a) utrumque eligit, instituit et dimittit *parochus* cum *vitricis*; qui istrumentum collationis exarabunt curabuntque, ut in illo officia, onera, proventus, modus dimissionis vel resignationis accurate explicitur, talique modo litibus et scandalis ansa praecidatur;

b) *communitati civili ius nullum competit* neque in casu, quando uterque ex toto vel ex parte a communitate *sustentatur*: *excipitur* vero casus iuris legitime acquisiti;

c) id dicendum *de patrono*;

d) organoedum necessarium esse iudicio *ordinariatus* probatur;

e) ius dicendi sententiam, num communitas aedituum sustentare debeat, *ad potestatem civilem*, non vero ad communitatem ipsam pertinet;¹⁾

f) in *ingressu muneris* manu data parochio nec non vitricis profitetur fore, ut munus suum fideliter exequatur; quae professio sequentibus verbis fieri poterit:

»Ego N. N. coram Deo omniscio et omnipotenti promitto, me superioribus meis ecclesiasticis obedientiam praestitum in omnibus, quae ad munus meum et ad vitam vere christianam pertinent, me res ecclesiasticas mihi commissas conscientiose servaturum nec non obligationibus omnibus plene satisfacturum esse.«

2. De vita et variis eorum relationibus.

Cum aeditus et organoedus ecclesiae deserviant, per se patet *vitam illorum immaculatam relationesque ad clerum et populum ordinatas esse debere*. Quam ob causam Synodus mandat parochis, ut sequenti modo instruere utrumque satagant:

¹⁾ Quae sub a — e dicta sunt, a natura ecclesiae utpote societatis perfectae resultant et insuper ab ipso nostro summo foro judiciali administrativo (Verwaltungsgerichtshof) probata sunt.

a) aeditus et organoedus *vitae sit immaculatae*, in omnibus uterque *cum ecclesia sentiat*, bonoque exemplo populo fidieli praeluceat;

b) ideo *puro zelo* pro Deo atque pro eiusdem domo inflammatus sit, in omnibusque officiis sufficienter *instructus*, ad omnia idoneus nec non semper *paratus*:

c) uterque veram *foveat pietatem* ope orationis quotidiana et frequentiori susceptione Sacramentorum; nam pietas cum humilitate, prudentia, temperantia, continentia, parsimonia, fidelitas et amor omnium laborum status in omnibus christianis, praeprimis in personis servitio ecclesiae adlectis, necessario praesupponuntur;

d) si unus vel alter *familiam* habet, ad aedificationem populi fidelis valde desideratur, ut vita familiae sit revera christiana atque ut uxor et infantes, vel saltem infantes sacrum quotidie audiant;

e) *vestitus* utriusque neque sordidus sit neque nimis splendidus, sed statui conveniens et mundus; in sacris functionibus *annulo* haud utetur, nisi uxoratus sit; *manus* lotae sint semper, praeprimis tempore, quo hostias ad missam conficit, vel paramenta fors valde nitida et pretiosa tangit; ad tactum veli maioris pretii, librorum nec non diebus ecclesiae solemnioribus *chirotecis* mundis, albis utatur;

f) *ab operibus et muneribus*, quae muneri ipsius minus congruunt, quibusque ab obligationibus sui status *abstraheretur*, omnino abstineat, licet valde desideratur, ut *artem aliquam* e. g. sartoris, hortulani sciat, vel ut qua organoedus idoneitatem ad munus secretarii in communitate vel ad alia munera v. g. ad gerendum protocollum, ad componendum computum, ad scribendos alios variorum generum libros in variis associationibus sibi procuret;

g) *habitaculum* semper teneat mundum; nullam cuiuscumque vocationis personam licentia a parocho non obtenta stabiliter in domum recipiat, multo minus conventus suspectos praeprimis conventus iuuentutis utriusque sexus in domo sua toleret;

h) folia, diaria, et libros neque pecunia sibi procuret, neque legat, neque quacumque e causa in domum admittat, nisi omni ex parte probatos et licitos;

j) uterque promptam praestabit obedientiam parocho in omnibus, quae ad munus eorum nec non ad vitam christianam, quae exemplaris esse debet, pertinent; cooperatores quoque aliosque sacerdotes debita prosequetur reverentia iisque postulantibus servitia libenter praestabit;

k) varias instructiones ad munus melius exequendum datas a paredio, item admonitiones et animadversiones fors et vituperationes animo docili, absque murmuratione, absque contradictione suscipiet, iram fors emergentem fortiter reprimet, excusationes vero quiete et reverenter proferet atque, si indigne vel iniuste se oppressum et humiliatum fuisse putat, recursum ad superiores, ad decanum, vel archidiaconum, vel ad ordinariatum modo convenienti instituet semperque paratus sit ad dissensionem pacifice componendam;

l) erga parochianos uterque affabilis sit atque humanus; caveat autem ab iuvenibus immorigeris, corruptis, bacho atque veneri deditis; caveat quoque ab hominibus et factiobibus ecclesiae vel clero parochiano offensis; cautus sit in commercio cum sexu femineo, praecipue in illo cum puellis, fors sat procacibus, ne passione captus fideles scandalizet atque in proprium ruat interitum;

m) domus parochianorum non frequentet nisi compulsus necessitate vel officio; numquam in variis domibus quasi ex consuetudine inanibus confabulationibus, detractionibus vel aliis ineptiis tempus protrahat; neque in cauponis, licet honestae sint, in noctem seram consideat, sed debito tempore domum abeat, illas vero omnino fugiat, in quibus iuvenes vel viri iam ebrii sermones sordidos proferunt, cantilenas in honestas cantant, ultra modum clamant vel rixas parant; a saltationibus semper abstineat, nec umquam locum ingrediatur, in quo saltationes parantur;

n) neque cum famulabus parochi familiariter agat, neque cum illis frequentius et diutius sermocinetur ac officium procurandi vinum pro missa vel prunas pro benedictione omnino expostulat;

o) de rebus officiosis, v. gr. de poenitentibus, de communicantibus, de baptizatis, deque aliis rebus, quae occasione muneric sui comperit, silentium teneat, ne rixis et scandalis ansa praebeatur;

p) vi muneric obligatur, ordinationes parochi ad alios sacerdotes vel in genere ad personas quascumque perferre, quae cultum divinum vel curam animarum concernunt;

q) collectas pro ecclesia, vel pro quacumque alia pia causa proprio marte numquam suscipiat.

3. De obligationibus organoedi.

Quoad ordinem chori et cantus parodius curabit, ut organoedus ad ea, quae sequuntur, attendat;

a) in locum chori, qui pro organoedo et pro cantoribus destinatus est, neminem alium admittat; quapropter suadetur, ut haec pars chori a reliqua parte cancellis separata ianuisque clausa sit;

b) in parte chori convenienti armarium collocetur, in quo compositiones, libri, aliaeque res necessariae serventur, ne disiectae in choro sordescant, lacerentur, pereant;

c) procuretur inventarium omnium requisitorum; in inventario compositiones, libri, resque omnes pro cantu acquisitae describuntur et quidem sub numero currente; requisita enim omnia sigillo parochiali et numero currente muniantur, ut ab omnibus aliis rebus ut possessio chori dignosci possint;

d) ad conservandum ordinem, ad praecavendas confabulationes et ad arcendum strepitum, quo cultus divinus perturbaretur, omnino necessarium est, ut organoedus ante initium sanctae functionis in choro compareat; nam tunc usque ad initium omnia cantoribus necessaria praeparare, nec non perturbationem sacri praecavere poterit;

e) tum in cantu tum in musica organoedus leges ecclesiasticas desuper latas semper pree oculis habebit, quarum principiiores in Synodo praesenti recensentur atque inculcantur;

f) organoedus textus seliget conformes tempori ecclesiastico nec non partibus missae; in missis cantatis textum

in lingua *latina* adhibebit; secus vero atque in *devotionibus popularibus* cantus proponat in lingua *vernacula*; textus ecclesiasticos numquam commutabit, neque ex toto vel parte omittet, neque ordinem perturbabit; non requiritur magna copia missarum in lingua latina, ast quas possidet, curabit, ut a cantoribus *accurate et praecise* producantur; *pronuntiationem* verborum non negliget; *cantum choralem* pro viribus promovebit;

g) organoedus *textum et notas pro singulis vocibus accurate describere tenetur*, ita ut cantores notas habeant, folia omnia munita sigillo parochiali et signata numero currente in *armario clauso* custodiet, ne pessumeant; *expensae e proventibus ecclesiae currentibus solventur*;

h) folia cum notis et textibus organoedis vicinis vel variis associationibus sive ad usum, sive ad describendum *commodare absque expressa parochi licentia non permittitur*;

j) organoedus nullo parcet labori necessario, ut *sufficientem numerum cantorum acquirat* illosque in cantu *diligentissime exerceat*; exercitium *in seram noctem* protrahere non licet; neque licet, exercitium *cum singulis puellis* seorsim instituere vel *iuvenes et puellas* semper simul et promiscue ad exercitia vocare; sed ad *praecavenda* scandala, puellas omnes semper eodem tempore doceat, iuvenes vero seorsim a puellis exceptis una vel altera vice, cum ad cantum in ecclesia rite producendum exercitium omnium tum cantorum tum cantatricum simultaneum necessario requiritur;

k) organoedus *cum cantoribus affabilis sit, mitis et patiens*; nullum aliis *praeferat*, *prae aliis extollat* vel *vituperet*; *lites* fors exortas pacifice componat; *textum eligere non permittat* cantoribus, vel uni ex illis, neque propriae coniugi, sed *textum attendens* ad vota cantorum fundata ipse determinabit;

l) cantores et cantatrices *absque praevio consensu parochi* neque *admittet*, neque *dimitteret*, neque *ut vicinis parochiis subsidium praestent*, *permittet*; ad *chorum* non *admittantur nisi personae probatae pietatis et integritatis vitae*; *scandalosas parocho denunciare tenetur*; in genere *bonae famae* sui chori maxima cum circumspectione invigilabit;

m) organoedus prae manibus habeat *diarium*, in quo cantilenae determinatae pro singulis dominicis, vel diebus festivis, pro processionibus vel pro aliis devotionibus inscribantur, atque saltem in vigilia festorum parocho ad comprobandum proponantur;

n) organoedus ad *perfectionem* in sua arte quotidie maiorem anhelabit, quapropter *exercitium* tum theoreticum tum practicum *numquam negliget*, sed quotidie continuabit, libenterque ad cursus musicae sacrae, qui ad fovendam musicam sacram saepius instituuntur, venire properabit.

4. De obligationibus aeditui.

Obligationes aeditui sunt multiplices. Parochus cum patientia et longanimitate illum instruat atque ad singulas saepius attentum reddat, ne oblivioni dentur. Sunt vero fere sequentes:

a) in ingressu muneris *claves* ad ecclesiam, turrim et sacristiam a parocho accipit, quas absque licentia parochi nemini committat;

b) aedituus pulsationem campanarum pro more plus minusve solemnii, prouti in dioecesi et in parochia invaluit, procurare tenetur; pulsatio vero *ea accurate fiat hora*, quae determinata est, ut fideles ad missam aliasque devotiones invitentur, vel ut diebus Sabbati et vigiliarum dominica vel festum fidelibus annuntietur; ad »*Ave maria*« pulsatio brevis sit;

caveat aedituus a pulsatione, quae *campanis ipsis periculo* foret v. gr. si ex una parte campanae pulsatio esset vehementior ac ex altera parte; iuvenes, qui propter maiorem solemnitatem pulsationem *magis artificiosam* producunt, attenti reddantur *ad pericula*, quae campanis imminent;

campanae suo tempore *purgari* debent a variis sordibus nec non *oleo* comparato e mineralibus perliniri; *ianuae* infra et supra campanas clausae teneantur; *iuvenes et viri inepti vel ebrii* ad campanas, immo neque in turrim admitantur; *tempore sacrae functionis* commoratio in turri apud campanas minime permittitur;

viri vel iuvenes, qui ab aedituo in subsidium vocantur, mercedem consuetam vel condictam e proventibus ecclesiae percipiunt;

c) aedituus *horologio* quod in turri collocatum publico usui inservit, magnam curam et sollicitudinem impendet; *determinato* temporis intervallo motui rotarum providebit, ne ob incuriam eius horologium tempus falsum indicet;

aedituus horologium singulis mensibus a sordibus *purgabit* nec non oleo apto *perliniet*;

de damno quocumque vel horologio, vel campanis, vel turri imminente vel fors iam exorto parochium quo citius certiores reddet, ne illud ingravescat magnosque pro reparatione sumptus exigat;

d) quam diligentissime invigilabit aedituus, ne *lumen aeternum* ante tabernaculum unquam extinguitur, quam ob causam non solummodo mane et vespere sed etiam interdiu certitudinem de illo non extincto sibi procurabit; eadem e causa oleum melioris generis saepius infundet, novum linum (stenj) immittet, atque lucernam prouti decet mundabit;

si praeter lucernam in facie tabernaculi aliae quoque ante altaria vel ante imagines ad pietatem fovendam pendent, etiam istae suis temporibus accendantur atque mundentur;

e) pro natura festivitatis *candelabra* plus minusve pretiosa, ast semper munda in altaribus collocabit, nec non cereis providebit;

pro festivitate aedituus *cereos plures vel pauciores accendet*; ceram, quae defluit, colliget, cum parte cerei non consumpti servabit, atque parocho ad vendendum tradet; parocho non permittente nemini quidquam vendat, eo minus in usus proprios convertat, ne reus sacrilegii fiat;

f) aedituus *iusto tempore praeparabit omnia, quae ad missam, ad ministranda Sacraenta, ad peragenda funeralia, ad processiones et benedictiones reliquasque sacras functiones necessaria sunt*, prouti altaria, mappas, cereos, paramenta, aquam, vinum, hostias, ampullas, thuribulum cum navicula, thus et prunas, rituale, missale aliquosque libros; *parochus aedituum* saepe saepius de modo, quo omnia rite tractentur, dis-

ponantur, munda serventur atque comparentur, *summa cum patientia instruet nec non semper invigilabit;*

g) aedituus *munditiem* quoque altarium, vasorum, candelabrorum, scaminorum, confessionalis, pavimenti, parietum, paramentorum, totiusque ecclesiae sollicite procurabit et quidem modo, qui pro munditie procuranda a personis expertis praescribitur;

h) *expensae* pro rebus et laboribus, quibus mundities procuratur, e currentibus ecclesiae proventibus a parocho solvuntur; immo res ipsae a parocho emuntur, nisi pro uno vel altero obiecto parodus et aedituus de summa annuatim solvenda consenserint, quod hoc in casu ab aedituo procurari debet;

j) diebus dominicis et festivis immo, ad omnes maiores solemnitates *aedituus vestimentis induatur ecclesiasticis*; gressus aeditui in sacristia et in ecclesia, praecipue tempore missae vel cuiuscumque sacrae functionis non sit strepitosis, sed quietus et facilis; si necessario aliquid *interrogare* vel *interrogatus respondere* debet, id *voce submissa* fiat et non ultra strictam necessitatem; incedens per ecclesiam *manus iunctas teneat*, nisi istrumentum aliquod vel aliud sacrum obiectum portat; transiens altare tabernaculi genuflectat et quidem unico genu, nisi Sanctissimum sit expositum, quo in casu genu utroque genuflectet;

k) aedituus *invigilabit ministrantibus*, ut pro loci sanctitate devoti sint et exemplares, ut responsiones accurate addiscant atque ut in omni sua opera fidelibus aedificatonem, non autem scandalum praebeant;

l) si altaria, paramenta, vasa, armaria, muri, portae, fenestrae *defectuosae* evadunt, aedituus *parochum certiorem reddet*; omne *damnum* pro viribus ab ecclesia arcebbit, nivem hiemali, gramen autem verno tempore ab ecclesiae muris removebit, ne muri humiditate inficiantur; *vias quoque circa ecclesiam*, nec non in coemeterio purgatas tenebit;

m) *alia quoque officia*, quae ad ecclesiam eiusque indigentias pertinent, v. gr. *procurare »postam«, subire aedituus non recusabit*; si extraordinaria sunt, nec in susceptione

muneris praevisa, *mercedem* convenientem percipiet, secus vero ista officia in mercede iam condicta continentur;

n) *impeditus*, quominus ministerium suum impleat, v. gr. aegritudine, necessario itinere, exercitiis militaribus, consentiente et adiuvante parocho *substitutum* procurabit; quoad *salarium* substituto solvendum, ad praecavendas lites et aver-
siones, *statim in susceptione muneris cum parocho de illo conveniat*;

o) ius ad proventus incipit die, quo munus suum revera actualiter aggreditur; desinit vero tempore, prout in decreto collationis determinatum fuit.

5. De salario.

Quilibet operarius mercede sua dignus est. Cum *aedituus et organoedus* parochiae inserviunt, a parochia quoque assignato sufficienti salario *sustentari* debent. Quaestio vero de sustentatione utriusque valde difficilis est; nihilominus *pastores animarum nullam occasionem solutioni favorabilem praetermittant, immo nullo parcant labori, donec feliciter soluta fuerit*.

Occasiones vero et circumstantiae pro varietate parochiarum statusque praesentis ita differunt, ut *ordinationes generales*, quibus omnes parochiae eodem modo obligarentur, *ab hac Synodo stabiliri non possint*. Ideo Synodus solummodo *viam indigitabit*, qua ad solutionem huius quaestionis favorabilem pervenire parochi studeant.

a) Suadetur, ut in parochiis saltem minoribus munus aeditui et organoedi in *una persona* coniungatur, quod in multis parochiis iam factum est; quo in casu organoedus *substitutum* inveniat, qui munus aeditui eo tempore exercebit, quo organoedus in choro detinetur;

b) in parochiis, quae domum vel saltem satis amplum locum habitationis pro aedituo et organoedo nondum procuraverunt, parochi omnem lapidem moveant, ut gravis iste defectus *quo citius tollatur*;

c) *parochi* sollicitudinem omnem impendant, ut *proventus iam existentes integri serventur*; nam praecipue *proventus*

collecturae propter duritatem hominum saepe gravi periculo exponuntur, parodus ergo aeditum et organoedum *in colligendis pecuniis vel fructibus* promissis omni modo et studio iuvabit;

d) immo parodus curabit, ut proventus, ubi ita tenues sunt, ut ad alendum aeditum et organoedum cum familia minime sufficient, ad quantitatem requisitam augeantur;

e) tale augmentum pernecessarium *ope concursus publici*, qui a gubernio indicitur, verosimiliter in omnibus illis parochiis obtinebit, in quibus fideles ecclesiam, splendorem atque munditatem illius, cantum et musicam sacram amant atque propterea desiderant; si parodus de dispositione dubitat, caute et prudenter illam excitare satagit; per se patet, *organistam quoque et aeditum* in obeundo suo ministerio tam conscientiosos nec non in conversatione cum populo tam affabiles et comes esse debere, ut ab illo aestimari et honore donari possint;

f) in singulis parochiis *associationes caeciliane* desiderantur, quae ad promovendam musicam sacram institutae dotationem quoque organoedi augere illumque sat contentum reddere possint et quidem vel annuis tributis membrorum, vel variis collectis per parochiam;

g) curet parodus, ut ditiores parochiani voluntariis donis hinc inde tributis paulatim *soratem maiorem* eo fine congerant, ut usurae in bonum organoedi destinentur;

h) sacerdotibus omnibus, praecipue parochis obligatio incumbit, omni meliori modo *adiuvare associationes*, quae ab organoedis et aedituis initiae sunt, ut mutuam sibi opem ferant miserabilemque statum suum tolerabiliorem reddant;

j) ubi *ecclesiae reditus* permitunt, haud absque re erit, organoedum et aeditum in occasionibus solemnioribus, v. gr. in festo paschae, initio anni, post devotionem maialem, in die onomastico *dono pecuniario* modo decenti porrecto adiuvare;

k) parodus contendat, ut aedituo et organoedo *alios quoque fontes proventuum aperiat*, v. gr. procurando illi munus in nostris associationibus, apud cassas parsimoniales, in communitate;

l) desideratur, ut organoedus et aeditus honestum et sibi conveniens *artificium* nosceret, quo tempore libero occupatus proventus augeret, v. g. absque dedecore agere posset hortulanum, sartorem, ligatorem librorum, horologiarium;

m) attendant parochi ad *leges civiles* in favorem aedituorum et organoedorum latas et adhuc ferendas, ut illarum ope status miserabilis eorum finem accipiat; num vero *lex assecurationis pro aetate et invaliditate* de dato 16. decembris 1906 fructus exoptatos latura sit, permulti dubitant; nihilominus parochi curabunt, ut organoedi, quorum salarium summam 600 C attingit, in numerum eorum, quibus pro invaliditate et senectute ista lege provisum est, adliegentur;

n) multum illos parochos laudamus, qui non obstantibus variis difficultatibus in parochiis suis media invenerunt, quibus salarium aeditui et organoedi ad sufficientem quantitatem auctum fuit.

§ 3.

De cantu ecclesiastico et musica sacra.

Ad cultus splendorem et suavitatem *cantus ecclesiasticus et musica sacra* quam plurimum conferunt.

Cum vero *cantus ecclesiasticus* est *pars sacrae liturgiae* et cultus publici divini complementum profecto *authenticum atque supremum iudicium de genuino cantu ecclesiastico*, qui vero suo fini correspondeat, non est penes quoslibet de plebe, sed *soli Ecclesiae competit*.

Ipsi quoque soli propria est potestas condendi *leges de conditionibus requisitis cantus ecclesiastici*, quem in domo Dei habere vult v. gr. *cantum stricte liturgicum et Gregorianum*, vel permittit v. gr. *cantum figuratum et musicum*, vel saltem tolerat v. gr. *symphonias instrumentorum*.¹⁾

Inde patet *Synodum nostram de cantu ecclesiastico et musica sacra leges ab ecclesia latas publicare, atque cantum et musicam in dioecesi conformiter legibus Ecclesiae universalis ordinare obligatam esse*.

¹⁾ Wernz, *Ius decretalium*, tom. 3, pag. 479.

1. De cantu ecclesiastico et musica sacra in ecclesia catholica.

Praemissis *notitiis historicis* Synodus nostra *disciplinam vigentem* proponendo *codicem musicae sacrae iuridicum* Pii X. publicabit.

Notae historicae.¹⁾

Notas historicas de cantu ecclesiastico et musica Wernz in suo opere »ius ecclesiasticum« breviter proposuit, quem in sequentibus punctis secuti sumus.

a) *Cantus* cum pro sua natura cultui divino conveniat, iam in veteri lege atque inde ab aetate apostolica etiam in liturgia christiana fuit receptus. Nec primis saeculis Ecclesia solummodo in sacra liturgia cantum admisit, sed praeterea in agapis, officio divino sive horis canonicas, in funeralibus celebrandis.

Qui cantus ecclesiasticus a sanctis patribus v. gr. Ignatio, Ephremo, Basilio, Hilario aliisque commendatus et promotus certe iam saeculo tertio et quarto *per sacros canones* etiam contra *abusus* fuit defendendus.

Quodsi potissimum S. Ambrosius et S. Gregorius cantum ecclesiasticum ordinarunt, eodem tempore non defuerunt concilia, quae de cantu ecclesiastico *positivas conderent leges* v. gr. de psalmistis et cantoribus, de uniformitate cantus.

Cantus *Ambrosianus* etiam in alias regiones v. gr. in Galliam fuit divulgatus; at multo maiorem celebritatem nactus est cantus *Gregorianus*, quem ecclesia occidentalis praesertim in Anglia, Gallia, Germania una cum *ritu Romano* magis magisque adoptavit. Id quod potissimum factum est in Gallia et Germania ex saeculo octavo et nono, postquam Pipinus et Carolus Magnus sublato antiquo cantu gallico vel Ambrosiano cantum *Gregorianum* summo studio promoverunt.

b) Cum ecclesia per mille fere annos in cultu divino unice usa est cantu *unisono*, non polyphonico et multo minus musico, tandem circiter ex saeculo undecimo *retento cantu Gregoriano* etiam *cantus figuratus* per usum *organi* iam praeformatus paulatim introductus est.

¹⁾ Wernz, ibid., pg. 480 sqq.

Novam artem Ecclesia non reprobavit, quamdiu *consonantiae, quae melodiam sapiunt*, supra cantum ecclesiasticum simplicem proferebantur et ipsius cantus ecclesiastici integritas illibata permansit. At nonnulli *novae scholae discipuli*, qui derelicto antiquo cantu ecclesiastico *lascivioribus delectabantur modis*, a Joanne XXII. anno 1322 circiter reprehensi sunt.

Quae revera sanctio romani pontificis cum abusus reprimeret, legitimam libertatem insignibus magistris non admittit; illi enim etiam post Joannem XXII inixi solido fundamento cantus Gregoriani in *genere diatonico* semper *praeclarissima opera usque ad finem saeculi decimi sexti publicarunt.*

c) Concilium Tridentinum postquam sess. XXII decr. de observ. paucis gravibusque verbis *cantum lascivum in ecclesia reprobavit*, sess. XXIII. c. 18. de ref. *cantus computique ecclesiastici studium in seminariis clericorum praescripsit.*

Quo concilio finito romani pontifices v. gr. Pius V., Clemens VIII., Paulus V. cum reformationi liturgiae et librorum liturgicorum diligentissimam navarent operam, etiam in iisdem *libris* v. gr. in Missali, Caeremoniali episcoporum atque specialibus *ordinationibus* cantum ecclesiasticum *pristinae suae puritati restituere* et ad novum splendorem perducere studuerunt;

d) Profecto Joannes Pierluigi *Palaestrina* († 1594) cantum polyphonum ad eximum gradum perfectionis adduxerat, ita ut in ipso Caeremoniali episcoporum t. I. c. 28 atque quamplurimis conciliis provincialibus ille cantus non tantum per quandam tolerantiam, sed *positiva approbatione* *permitteretur.*

At negari non potest, eodem saeculo decimo sexto iam reperiri *vestigia novae cuiusdam musicae ecclesiasticae*, in qua paulatim derelicto cantu Gregoriano et in genere diatonico *usus generis chromatici* cum propriis melodiis a cantu Gregoriano alienis invaluit. Cuius novae scholae primi magistri insigniores extremos scopulos vitantes sane *musicam etsi minus perfectam tamen ecclesiis idoneam composuerunt.* Quorum *discipuli* minus attentes ad legitimos terminos *inde ex saeculo decimo septimo et octavo a gemina musica ecclesiastica magis magisque recesserunt.*

Romani pontifices velut Alexander VII., Innocentius XII. atque concilia provincialia *novis abusibus exiguo cum successu* semet opposuerunt. Immo aucta potius est relaxatio probatae praxis ecclesiasticae, cum *praeter organum* iam per complura saecula ex legitimo usu receptum praesertim ex fine saeculi decimi sexti *alia atque alia instrumenta musica* in cantu ecclesiastico adhibita sunt. Unde factum est, ut potissimum saeculo decimo octavo et ineunte saeculo decimo nono musica ecclesiastica non raro magis conformis erat *theatro* quam domui Dei.

e) Quibus malis celeberrima Benedicti XIV. Encyclica »Annus« 19. Febr. 1749 efficax remedium non attulit. Verae et practicae reformationi musicae ecclesiasticae tandem saeculo decimo nono manus admota est, cum resuscitato zelo clericorum et laicorum in promovendis operibus catholicis etiam sacrae musicae suppetiae latae sunt.

Quae reformatio praeparata est per *solida studia de genuina natura musicae ecclesiasticae* profundioribus disquisitionibus historicis innixa et *praesertim maiore illa diligentia et reverentia*, qua ex fontibus iuris ecclesiastici depromptae sunt normae a romanis pontificibus, s. romanis congregati nibus, conciliis provincialibus iam pridem statutae.

Quae leges ecclesiasticae, cum a concillis provincialibus saeculo XIX. celebratis praeuntibus atque approbantibus romanis pontificibus denno summa vi inculcatae *mediis quoque aptis, quod maius est, executioni mandarentur, reformatio musicae sacrae multis in regionibus etiam de facto obtenta est.*

Disciplina vigens.

Quam reformationem saeculo decimo nono exeunte fere ubique iam propagatam, Pontifex Pius X. summa sua auctoritate Motu proprio »*Inter munera pastoralis*« de die 22. Novembris 1903 summopere promovit.

Pius X. affirmat¹⁾: »et quum desiderio flagramur ut christianus spiritus omnifariam reflorescat et in omnibus christi-

¹⁾ Škof. List, 1904, pg. 78.

fidelibus conservetur, templi sanctitati et dignitati in primis est consulendum, quo fideles ad eundem spiritum a primo et non relaxabili fonte adipiscendum, id est, ab activa divinorum mysteriorum participatione et communi solemnique ecclesiae deprecatione, conveniunt.«

»Quamobrem, continnat Pontifex Pius X., ne quis post-hac excusationem afferre valeat super clara officii sui cognitione et in rerum iam praescriptarum interpretatione quaelibet auferatur cunctatio, conveniens existimavimus, principia musicam sacram in divini cultus functionibus ordinantia, synopsis quadam generali, praecipuas ecclesiae praescriptiones contra frequentiores in hac materia abusus perstringere.«

»Proinde *motu proprio et certa scientia* hanc nostram Instructionem publici iuris faciums, cui, quasi *codici Musicae sacrae iuridico* ex Nostrae Apostolicae Auctoritatis plenitude, *sanctionem damus legis*, praesenti nostro Chirographo religiosiorem omnibus observantiam mandantes.«

Obsecundantes mandatis summi pontificis praefatum *codicem musicae sacrae iuridicum* iam publicavimus.¹⁾ Nihilo minus obligatos nos esse putamus, in hac nostra Synodo denuo omnibus illum inculcare. Quapropter serio perpendatur pontificia :

Instructio super Musica Sacra.

I. Principia generalia.

1. Musica sacra, qua pars integralis solemnis liturgiae, finis generalis particeps est, qui gloriam Dei et fidelium sanctificationem aedificationemque respicit. Ipsa ad decorum et caeremoniarum ecclesiasticarum augendum splendorem contendit, et quia Musicae praecipuum officium illud est, textum liturgicum, quod intellectui fidelium proponitur, apta exornare melodia, ita finis praecipuus Musicae est, eidem textui, maiorem adjicere efficaciam, qua fideles ad devotionem expeditius allicantur, eoque melius, ad gratiae fructus, qui

¹⁾ Škof. List, 1904, pg. 78 sq.

sunt sacrorum mysteriorum celebrationis proprii, in se suscipiendos, disponantur.

2. Propterea Musica sacra illas qualitates, quae liturgiae convenient, in gradu optimo, atque *sanctitatem et excellentiam formarum* strictim praeseferre debet, ex quibus alter character eiusdem, scilicet *universalitas* promanat.

Sancta quum sit, quamlibet profanitatem non solum in seipsa debet removere, verum etiam in ratione, qua ab executoribus proponitur.

Ars vera sit, secus enim efficacia illa in animo auditorum frustraretur, quam Ecclesia in sua liturgia amplectens sonituum artem, assequi intendit.

Ast insimul ars *universalis* sit, hoc quidem sensu, quod, et si cuivis nationi concedatur in ecclesiasticis cantilenis peculiaribus illis uti formis, quae, quodammodo, specificum musicae characterem, eidem nationi proprium, constituunt, formas ipsas tamen musicae sacrae generalibus characteribus tali ratione necessum est subjicere, ut nemo quispiam alterius nationis, in earum auditione, animum ingrata perculsum tensione, experiatur.

II. Genera musicae sacrae.

3. Hae qualitates, in cantu gregoriano paeclare inventiuntur, qui, propterea cantus proprius Ecclesiae Romanae est, unicus cantus ab antiquis patribus in haereditatem ab ipsa receptus, et in suis liturgicis codicibus sollicite custoditus, quemque qua suum, fidelibus directim ipsa proponit, quemque in nonnullis liturgiae partibus exclusive praescribit, quemque studia recentiora pristinae integritati ac puritati feliciter reddiderunt.

His de causis, cantus gregorianus habitus est qua optimum musicae sacrae exemplar, proindeque, jure merito, sequens norma generalis stabilienda venit: *musicalis compositione ecclesiastica eo magis sacra est et liturgica, quo magis, in actione, in inspiratione, et in sapore, cantileneae gregorianaee accedit, et eo minus templo est digna, quo magis, ab illo supremo exemplari, difformis dignoscitur.*

Antiquus cantus gregorianus traditionalis itaque in divini cultus functionibus diffuse erit restituendus, et ab omnibus id pro certo habeatur; ecclesiasticam functionem nil iacturae in sua solemnitate esse passuram, quamvis solo cantu gregoriano perficiatur.

Potissimum in populi assuetudinem cantus restituatur, ut fideles, rursus partem activam in sacris functionibus assumant, prout antiquitus moris erat,

4. Enunciatis qualitatibus, praecclare quidem, polyfonia classica, praesertim Scholae Romanae, potitur, quae saeculo decimo sexto culmen perfectiones, Petri Aloysii e Palestrina opera est assecuta, et progressu quoque temporis, compositiones exquisiti meriti liturgici et musicalis, protulit. Polyfonia classica, archetypo supremo cuiusvis musicae sacrae, cantui videlicet gregoriano, perbelle accedit, eaque de causa, in solemnioribus Ecclesiae functionibus Cappellae Pontificiae, cantui gregoriano cooptari meruit. Haec igitur, uberrime, in ecclesiasticis functionibus restituenda erit, praesertim in insignioribus Basilicis, in Cathedralibus Ecclesiis, in Seminiorum caeterorumque ecclesiasticorum institutorum Oratoriis, quae mediis pollent.

5. Omni tempore, artium progressum Ecclesia magni fecit, favitque quidquid ab humano ingenio, in saeculorum decursu, boni pulchritique detectum est, in cultus ministerium admittens, legibus liturgicis, tamen, iugiter servatis. Consequenter, recentior musica in Ecclesia pariter admittitur, quum et ipsa, compositiones magni pretii, serietatis et gravitatis exhibeat, quaeque, ex integro, liturgicis respondent functionibus.

Nihilosecius, quum recens musica, praecipue in usum profanum assumatur, maximas urget conferre curas, ut, recentoris styli compositiones, argumentorum theatralium non proferant recordationes, neque in forma earum externa, ad instar profanarum compositionum, deducantur.

6. Inter varia musicae modernae genera, stylus theatralis, qui, saeculo ultimo elapso, in Italia praesertim fuit adhibitus, ad sacras comitandas functiones ineptus visus est.

Suapte natura, hoc musicae genus, cantui gregoriano et classicae polyfoniae, proinde principaliori normae cuiusvis bonae musicae sacrae, directissime, opponitur. Insuper, interior structura, rythmus, et huius styli pactio, nonnisi, aegre, verae musicae exigentiis, flectuntur.

III. Textus liturgicus.

7. Lingua latina Ecclesiae propria est. Idcirco in solemnibus liturgicis functionibus, quaevis cantilena, vulgari idiomate conscripta, prohibetur, eoque magis, partium variabilium seu communium Missae, vel officii, cantus in vulgari idiomate, interdicitur.

8. Quum, pro quavis functione liturgica, textus, qui musices numeris conscribi valent, et ordo, quo proponi debent, determinati sint, haud licet talem ordinem perturbare, neque textus praescriptos commutare, neque, ex toto, vel in parte omittere, nisi forsitan, Rubricae liturgicae Organi usum ad supplementum quorumdam versuum, permittant, eo tempore, quo versus ipsi a Choro simpliciter recitantur. Iuxta Romanae Ecclesiae consuetudinem, Moctetum in SS. Sacramenti honorem, post *Benedictus*, in Missa solemni, cantare licet. Item, post decantationes praescripti Offertorii Missae, permittitur, ut breve quoddam Moctetum, super verbis ab Ecclesia approbatis, decantari valeat.

9. Textus liturgicus prouti in libris coordinatur, sine immutatione verborum, vel postpositione, sine repetitionibus indebitis, sine syllabarum abruptione, et iugiter modo claro et captui adstantium fidelium accomodato, decantetur.

IV. Forma externa sacrarum compositionum.

10. Partes singulae Missae et officii, etiam harmoniae numeris conscriptae, conceptum et formam conservent illis ab ecclesiastica traditione datas, quaeque, apprime, in cantu gregoriano enunciatur. Proinde diversa ratione, musicis numeris, conscribendus est *Introitus*, *gradualis*, *antiphona*, *psalmus*, *hymnus*, *Gloria in excelsis* etc.

11. Particulatim sequentes observentur normae:

a) *Kyrie, Gloria, Credo* etc. Missae, compositionis unitatem, quae textui est propria, retinere debent. Igitur, non licet hos cantus, disjunctis fragmentis, componere, ita, ut quodvis eorum fragmentorum compositionem musicalem perfectam exhibeat, quae a reliquo sejungi, et alia cum compositione substitui veleat.

b) In Vesperarum officio, ordinarie, observanda est norma *Caeremonialis Episcoporum*, quod, pro psalmodia, cantum gregorianum praescribit, et musicam figuratam pro versibus *Gloria Patri*, et pro hymno, permittit.

In maioribus solemnitatibus tamen, licet cantum gregoriam, Chori alternis vocibus, cum, ita nuncupato, depresso musicae concentu (*feaux bordons*) vel cum versibus in eius similitudinem, apte conscriptis, proponere.

Interdum etiam permitti poterit, ut singuli psalmi, ex integro, harmonice conscripti, exequantur, dummodo in talibus compositionibus, forma, psalmodiae propria, conservetur; idest, dummodo cantores inter se psallere videantur phrasibus vel novis, vel a cantu gregoriano, vel, ad imitationem eiusdem, desumptis.

Idcirco, in posterum psalmi concentum facientes, prescribuntur et prohibentur.

In Ecclesiae hymnis, forma a traditione hymnis tributa, conservetur. Proinde non licet, exempli gratia, stropham »*Tantum ergo*« musicis numeris componere ad instar musicalium pensorum, cui: *romanza*, *vel cavatina*, *vel adagio*, nomen est inditum, et stropham »*Genitori*« compositionem motu hilari producendam exarare. Antiphonae Vesperarum ordinarie, melodia illis propria, proponantur. Quodsi, aliquo in casu particulari, musices numeris aptatae, decantentur, nunquam fas erit, eisdem melodiam concertus, neque Moceti exemplar, vel melos praeferre.

V. Cantores.

12. Exceptis melodiis Celebrantis ad altare et ministrorum, quae, in cantu gregoriano, absque Organi modulatione proponi debent, reliquum totum, quod cantus greg-

rianus complectitur, choro levitarum est proprium, idcirco cantores Ecclesiae, si laici sint, vices ecclesiastici chori reapse gerunt. Ideo cantilena, quae ab ipsis proponuntur, characterem musicae choralis, in earum potiore parte, conservare bebent. Hac praescriptione tamen, cantilena, ab unico exhibitae Cantore, non excluduntur. Sed haec unica vox, nullatenus fas est primum in functione locum tenere, ita, ut maior pars liturgici textus, tali ratione, exequatur; sed potius characterem simplicis nutus, seu melodici praesegminis, proferat, et, strictim, ad reliquam compositionis structuram, formam chori habentem, connectatur.

13. Ex hoc principio consequitur, Cantores in Ecclesia verum officium liturgicum tenere, proinde mulieres, quum talis muneris sint incapaces, in chori, aut cappellae musicalis subsidium, admitti non posse.

Igitur, si acutis vocibus Sopranorum Altorumque uti placeat, partes hae, iuxta vetustum Ecclesiae morem, a pueris sustineri debebunt.

14. Postremo, in Ecclesiae musicali capella, nonnisi probatae pietatis et integritatis vitae homines admittantur, qui, corporis modestia, devotaque corporis compositione, sacro munere, quod in functionibus liturgicis explet, digni habeantur. Convenit etiam cantoribus, dum munia sua in Ecclesia exercent, habitu ecclesiastico et superpelliceo indui; quodsi in tribuna, conspectui populi nimis exposita, sistunt, cratibus defendantur.

VI. Organum et instrumenta musicalia.

15. Quamvis Ecclesiae musica conveniens, sit vocalis, tamen musica, comitante etiam Organo, permittitur. In aliquo casu particulari, debita moderatione, servatisque aptis respectibus, et alia musicalia instrumenta admitti poterunt, ast semper, de speciali Ordinarii licentia, iuxta *Caeremonialis Episcoporum* praescriptum.

16. Et quum cantus primum locum tenere debeat, ita, Organum et cetera musicalia instrumenta, cantum ipsum iuvare et numquam opprimere debent.

17. Non licet cantui prolixa praeludia praemittere, vel interludiis, illum intercipere.

18. Organi sonus, in cantus deductione, in praeludiis, in interludiis et similibus, non tantum iuxta propriam huius instrumenti naturam est proferendus, sed omnes qualitates, quibus musica sacra pollet, et iam, in antecessum, enumeratis, praeseferre debet.

19. Cymbali usus in Ecclesia interdicitur, et etiam frangosorum instrumentorum, vel levium, prouti: parvum tympanum, grande tympanum, patellae, campanulae, et similia.

20. Usus concentus flantium instrumentorum in Ecclesia stricte interdicitur: solum in aliquo peculiari casu, praevio Ordinarii consensu, licebit delectum flantium instrumentorum numerum, spatio Ecclesiae commensuratum, admittere, dummodo compositiones musicalis, proferenda, styli gravitate, congruentia, et ad organici styli similitudinem perstricta, eniteat.

21. In processionibus extra Ecclesiam, concentus flantium instrumentorum permitti potest, dummodo compositiones profanae excludantur. Desiderabile foret in tali occasione, ut concentus musicalis, ad comitandum canticum spirituale in latino vel vulgari idiomate propositum a cantoribus, vel a piis sodalitiis accendentibus ad processionem, cogeretur.

VII. Musicae liturgicae amplitudo.

22. Cantus vel sonitus ergo, non licet, ultra id, quod caeremonia liturgica postulat, Sacerdotem ad Altare immorari facere. Iuxta ecclesiasticas praescriptiones, trysagium *Sanctus* in Missa, ante elevationem absolvit debet, et hoc sub obtutu, etiam Celebrans ad Cantores prospiciat. *Gloria* et *Credo* iuxta gregorianam traditionem, respectiva brevitatem donentur.

23. Generatim qua gravissima desuetudo damnanda est illa, vi cuius, in ecclesiasticis functionibus, liturgia secundo loco ponitur, et quasi musicae mancipium appareat, dum musica, simpliciter pars est liturgiae, et humilis administratur.

VIII. Media praecipua.

24. Pro diligente harum praescriptionum executione, Episcopi, nisi hoc iam peregerint, in suis Dioecesibus commissionem peculiarem personarum in rebus Musicam sacram spectantibus, instituant, cui, modo oportuniore, munus invigilandi super musicis in Ecclesiis exequendis, demandetur, quaeque, non solum ad musicae congruentiam sed etiam ad vires cantorum, et ad perfectam executionem, animum intendant.

25. In Seminariis clericorum et ecclesiasticis institutis, iuxta tridentinas praescriptiones, ab omnibus, assidue et amanter, cantus gregorianus, ex traditione habitus, excolatur, et Superiores, hac in parte aemulatione, laudibus, animum alumnorum alacriter excitare satagant. Eodem modo, ubi hoc fieri potest, inter Clericos promoveatur institutum *Scholae Cantorum* ad sacrae polyfoniae et bonae musicae liturgicae executionem assequendam.

26. In preelectionibus liturgicis, moralis theologiae, iuris canonici, quae Theologiae studiosis proponuntur, haud ptermittantur capita, quae, peculiariter, ad principia et leges musicae sacrae, referuntur, et doctrinam circa artis sacrae esteticam, speciali quadam instructione absolvi current, ne Clerici, e Seminario discedentes, his notionibus ad perfectam culturam ecclesiasticam necessariis, destituantur.

27. Apud Ecclesias principales, antiquae *Scholae Cantorum* denuo instituantur, quemadmodum, hac illac, optimo cum successu, factum est. Institutio harum Scholarum in minoribus Ecclesiis, et ruri, clero zelo flaganti, facilis evadet, nam, earum ope, medium aptissimum, pueros et adultos circa se adunandi, prostat, cum eorumdem profectu et cum populi aedificatione.

28. Omni meliori modo satagatur, ut Scholae superiores musicae sacrae iam existentes, tueantur et florescant, atque iis in locis, in quibus desunt, instituantur. Ecclesiae magni interest, ut ipsa Ecclesia, instructioni suorum magistrorum, organoedorum et cantorum, iuxta sana artis sacrae principia, consulat.

IX. Conclusio.

29. Postremo, Cappelae magistris, cantoribus, personis de clero, Seminariorum, ecclesiasticorum institutorum et religiosarum Communitatum Praefectis, Parochis, et Ecclesiarum Rectoribus, Canonicis Collegiatarum et Cathedralium, ac praeprimis Ordinariis dioecesanis, cordi esto, ut has prudentes reformationes, iamdiu optatas et ab omnibus, communi sententia, exquisitas, favore prosequantur suo, ne auctoritas ipsa Ecclesiae, quae iterum iterumque eas proposuit et in praesenti urget, despectui habeatur.

2. De cantu ecclesiastico et musica sacra in nostra dioecesi.

Per se patet, codicem publicatum, qui a summa auctoritate ecclesiastica emanavit, quoad omnes ordinationes accurate esse observandum. Quam *observationem Synodus praesens urget omnibusque parochis, organoedis et cantoribus inculcat*. Quem in finem *Synodus statu praesenti descripto ordinationes quasdam edere vult*.

Status praesens.

Praeprimis status praesens tum musicae sacrae, tum cantus ecclesiastici breviter proponatur:

a) Encomia magna meretur praedecessor noster princeps episcopus *Chrysostomus*, qui *Associationem caecilianam* anno 1877 probavit, illique e *proventibus ecclesiasticis* media ad sustentandam *scholam caecilianam* porrexit;

b) *associatio caeciliana* reformationem cantus ecclesiastici et musicae sacrae omni studio inchoavit atque usque ad nostra tempora continuavit, licet ab initio multa obstacula superare coacta fuerit;

c) *associatio caeciliana* ad finem sibi propositum pertingere conabatur *fundatione scholae organoedorum*, in qua iuvenes spiritu ecclesiastico imbuti musicam sacram nec non cantum ecclesiasticum legibus ecclesiae conformiter addiscerent idoneique evaderent ad dirigendos choros ecclesiasticos per totam dioecesim;

*d) ut vero non solummodo iuvenes scholae organoedorum sensu et cognitione cantus vere ecclesiastici et musicae sacrae informarentur, sed ut *sensus vere ecclesiasticus et cognitio legum desuper latarum quaquaversus per omnem dioecesim propagaretur omniumque animos pervaderet, folium quoque »Cerkveni glasbenik« statim anno 1877 in lucem edi inchoatum est et nunc quoque magno cum fructu editur;**

*e) unde reformatio cantus ecclesiastici et musicae sacrae revera obtenta fuit, prouti nostri *chori* ecclesiastici in omnibus fere parochiis testantur;*

f) decursu huius reformationis multae ecclesiae organa artefacta ad normas de organis recentissimas sibi procura- verunt;

*g) unde haud mirum est, quod affirmare licet, *prae- scriptiones codicis supra publicati in dioecesi nostra in omnibus fere ecclesiis iam observari.**

Ordinationes quaedam adhuc necessariae.

Licet felicem progressum in reformatione cantus ecclesiastici et musicae sacrae affirmare liceat, nihilominus *nonnulli defectus*, qui ob fragilitatem humanam studiis inherent reformationemque plenam aliquantulum retardant, a Synodo silentio praeteriri non possunt. Ad illos *removendos* *Synodus statuit;*

*a) pro necessitate temporis ampliari debent argumenta (materiae) tradenda in nostra schola organoedorum; praeter institutionem in liturgia sacra, in historia musicae sacrae, in theoria cantus et musicae, in pulsatione cymbali (Fortepiano) et organi, in cantu chorali et figurali etiam in *kalligraphia*, in usu *machinae ad scribendum inventae exerceri nec non in omnibus, quae ad cassas parsimoniales, ad associationes oeconomicas, ad negotia associationum contra pericula ignis atque contra damna aliunde oritura, ad dirigendos varios libros in associationibus praescriptos necessaria sunt, instrui debent; necessaria quoque videtur informatio de constructione et reparatione organi;**

b) in scholam organoedorum pueri, qui scholam popularem bono cum successu nondum absolverunt, nullatenus admitti possunt; praferuntur pueri, qui studiis gymnasialibus saltem nonnullarum classium vacabant;

c) e schola organoedorum statim ab initio dimittantur pueri, qui talento pro cantu et musica omnino carent, vel talento haud sufficienti praediti sunt;

d) testimonium habilitatis sine exceptione nemini concedatur, nisi cursum integrum triennalem bono cum successu compleverit;

e) successus probari debet examine ad finem cuiuslibet anni et illo ad finem triennii feliciter superato;

f) multo maior cura impendi debet morali iuvenum educationi, quam omnes magistri scholae, praecipue vero catedcheta fovere obligantur; catedcheta paterna cura omnes prosequatur illosque vitae christianaee, castitati servandae et frequenti Sacramentorum susceptioni suaviter nec non fortiter assuefaciat;

g) ad hunc finem obtinendum Synodus vehementer desiderat, ut pro omnibus scholaribus convictus procuretur, qui ad vitam ordinatam et vigilantiam efficacem absolute necessarius esse videtur;

h) quae in codice musicae iuridico de principiis musicae sacrae generalibus, de eiusdem generibus, de textu liturgico, de forma compositionum, de cantoribus, de organo nec non de instrumentis musicalibus atque de musicae sacrae amplitudine dictum est in dioecesi nostra omnia conscientiose observari debent;

i) excipitur exclusio mulierum e choro; expositis a Nobis Summo Pontifici circumstantiis, qua in dioecesi nostra quoad cantum et chororum vigent, Summus Pontifex annuit Nostris precibus, concessitque, ut mulieres qua cantatrices in choris nostris ecclesiasticis tolerari possint;

k) nihilominus valde desideramus, ut chori puerorum saltem in maioribus ecclesiis, praeprimis in Nostra ecclesia cathedrali usu veniant speramusque fore ut in ecclesia cathedrali hoc Nostrum desiderium proximo iam tempore impleatur;

l) insuper mandamus, ut cantus choralis traditionalis tum in schola organoedorum, tum in choris ecclesiasticis qua-quaversus per dioecesim, tum in utroque nostro seminario magis foveatur frequentiusque adhibeatur;

m) summopere desideratur, ut etiam cantus in lingua vernacula, qui in missa non cantata, ad litanias, ad aliasque devotiones populares permissus est, populum magis pervadat illeque simul cum choro cantare possit; initium sumatur a iuventute utriusque sexus, quam dirigens ditori statutis diebus in cantu exerceat;

n) organum saepius, saltem quolibet tertio vel quarto anno, a pulvere mundetur, quolibet autem septimo, vel saltem decimo anno omnino reparetur et quidem per viros peritos, non vero per viros ignotos, qui circumvagantes semetipsos offerunt, licet testimoniis favorabilibus iacentur;

o) laudamus viros, qui annuos cursus instituunt, ut cantores, praeprimis dirigentes chorum, tum directionem cantus, tum pulsationem organi, tum cantum choralem ipsum magis magisque addiscerent; parochis iniungimus, ut suos organoedos si non omni vice, saltem saepius ad tam cursum ire suaviter compellant et pro posse pecunia adiuvent;

p) obsecundantes »Motu proprio« Pii X., commissionem instituimus, cui onus invigilandi super musicis in ecclesiis exequendis demandamus, quae non solum ad musicae congruentiam, sed etiam ad vires cantorum et ad perfectam executionem animum intendat; commissioni huic vero adlegamus directorem chori ecclesiae cathedralis, directorem et magistros musicae in schola organoedorum, qui alios quoque viros in arte musica peritos sibi cooptare et coadunare possunt;

q) ultimo parochos rogamus, ut iuvenes in schola organoedorum execultos et in suis ecclesiis institutos paterno amore favoreque prosequantur atque ad exercitia quotidiana et ad studium progrediendi incitent et omni ex parte prudenti suo iudicio adiuvent.

Cap. III.

De doctrina christiana.

Ad vitam christianam, sine qua finis ultimus obtineri non potest, praesupponitur *cognitio doctrinae christiana*e. Quapropter baptizatis omnibus *iure divino* obligatio incumbit procurandi sibi sufficientem cognitionem religionis catholicae. Eadem e causa etiam *parentes, tutores, heri curare debent*, ut filiis suis vel pupillis vel famulis vel similibus personis sibi subiectis necessaria instructio religiosa impertiatur; *filii vero, pupilli et famuli ius habent postulandi*, ne a parentibus vel a tutoribus vel a heris impedianter, quominus talem cognitionem sibi procurent.

Ius autem tradendi doctrinam christianam *nemini competit, nisi soli ecclesiae catholicae docenti*, cui Jesus Christus, divinus Praeceptor et Salvator totius mundi, tale ius mandavit obligationemque imposuit. Quae competentia et obligatio pro ratione tamen suorum officiorum imprimis est penes *Romanum Pontificem atque Episcopos*, utpote qui authenticum magisterium constituunt.

Cum vero huic obligationi personaliter satisfacere non possint, ideo *per alios* aptisque legibus latis aliisque mediis instructionem catedheticam curare tenentur, quod gravissimum munus per *missionem canonica*m demandatur.

Tali missione iam vi muneris gaudent *parochi*, qui *perse et personaliter* eo deputati et obligati sunt. Parochis adiunguntur *cooperatores*, qui vi missionis in parochiam ad officia omnia deputantur, quae a parochis ipsis imponuntur. Id valet de catedeticis in variis scholarum generibus.

Praeterea personae habiles, quibus per missionem canonica etiam publica quaedam institutio catedhetica ex officio tradenda committi potest, sunt omnes *cleric*i etiam inferiorum graduum, immo *laici* quoque atque honestae *feminae*.

Doctrina christiana autem traditur per *conciones et catescheses*; catedcheses habentur vel in scholis, vel in ecclesiis, vel in aliis decentibus locis. Traditur vero vel *universa doctrina christiana* vel tantummodo *specialis pars eiusdem*

veluti in praeparatione ad primam confessionem, ad primam communionem, ad confirmationem.

Ecclesia catholica instructionem populi christiani, tum puerorum tum adultorum, inde ab initio semper urgebat, nec umquam cessavit frequenter inculcare populi christiani religiosam institutionem. Maxime vero *Patres Tridentini* de catechesi atque catechismo novas et accuratiores leges condiderunt.¹⁾ Quas leges Romani Pontifices sapienter executioni mandarunt tum publicatione catechismi Romani a *Pio V.* facta, tum approbatione et commendatione catechismi cardinalis Bellarmini per *Clementem VIII.* Qua in re *Benedictus XIV.*²⁾ suos praedecessores magno studio secutus est omnesque episcopos excitavit, ut salutare opus doctrinae christianaee impensiori proveherent cura.

Nostris temporibus vero *Pius IX.* singulari ratione Episcopos praesertim Italiae de officio commonuit promovendi populi institutionem in doctrina christiana.³⁾ Quem scopum ut efficacius et universalius obtineret, in *concilio Vaticano* schema de parvo catechismo proposuit, quod vero vim legis nondum obtinuit eo quod concilium ante approbationem eiusdem abruptum fuerit.

Nuper vero *Pius X.* premens vestigia suorum praedecessorum institutionem populi, praesertim iuventutis, in doctrina christiana iterum inculcavit⁴⁾, modum huius institutionis solemniter praescripsit omnesque Episcopos suprema sua auctoritate obligavit, ut ordinationes suas executioni mandarent.

Episcopi quoque austriaci consci sublimis muneris nec non obligationum, quae inde promanant, curam de solida instructione populi numquam intermiserunt. Quis oblitus fuerit conaminum, quae per plures annos continuabantur, de *catechismo uniformi* pro universa Austria conficiendo? Quae co-

¹⁾ Sess. XXIV. c. 47, de reform., Sess. XXV. de indice libr. et catech.

²⁾ Const. Etsi minime, 7. febr. 1741.

³⁾ Encycl. »Nostis«, 8. dec. 1849.

⁴⁾ Encycl. »Acerbo nimis« de 15. Apr. 1905.

namina fini suo felici frustrata non sunt, prouti catechismus noster id sufficienter probat.

Nos ipsi in prima Synodo de tradendo catechismo nec non de divisione materiae ad singulos annos scholasticos, prouti necessarium Nobis atque utile esse videbatur, quam plurima statuimus.¹⁾ Et quis sacerdotum ignoraverit Nos in *visitatione canonica* quam plurimum attendere ad rectam catechismi explanationem, prouti vera methodus, finis educationis nec non aetas infantium postulat?

In hac autem Synodo *ulterius* progredientes ad perfectionem maiorem evehere intendimus *catechetica instructionem puberum et adulorum tum in genere tum in specie circa ea doctrinae capita, quae educationem ad castitatem respiciunt nec non ad removenda vel saltem minuenda peccata luxuria conferre possunt.*

§ 1.

De catechetica institutione in genere.

In dioecesi nostra institutio catechetica adulorum *singulis diebus dominicis et festis* tempore pomeridiano nec non adveniente tempore communionis *paschalis* praescripta observataque fuit.

Cum vero decursu temporis licet isthaec institutio nullibi omissa fuerit, varii defectus in illam irrepserint, Synodus haec statuit, quae necessaria sunt, ut defectus emendari atque institutio ipsa universalior evadere possit.

1. De dominicali institutione catechetica.

De hac institutione Synodus nostra iam superius²⁾ ea mandavit, quae ad maiorem fructum obtinendum necessaria, vel saltem proficia esse videntur. Quibus mandatis hic loci addit:

a) ad frequentandam cateschesim, quae *singulis dominicis exceptis supra enumeratis* praescribitur, fideles omni meliori modo *opportune et importune* invitentur;

¹⁾ Synodus, pg. 12 sq., 159 sq.

²⁾ Vide pg. 29—31.

b) non solummodo in concionibus et occasione confessionum, sed in cura quoque animarum privata moneantur fideles tum de obligatione sanctificandi integrum diem dominicam, tum de obligatione procurandi sibi sufficientem cognitionem doctrinae catholicae, quae vero olim cognita oblivioni datur, nisi eiusdem capita in memoriam saepius revocentur;

c) cognitio talis gravissimae obligationis ad fideles ope variarum associationum propagetur v. gr. ope Congregationis Marianae, Associationis a sacra Familia, Tertii Ordinis;

d) praecipue vero parentes de obligatione edoceantur, qua filios filiasque suas ad catesim dominicalem compellere teneantur atque curare, ut ad familiarem quoque tractationem de materia catesis, quae vel absolutis litaniis, vel tempore hiemali instituitur, omnes compareant, et quidem omnes, qui annum aetatis decimum sextum nondum compleverunt;

e) de qua catesi pueri et puellae non dimittantur nisi completo decimo sexto aetatis suae anno; specialem laudem publicam merentur, qui examen de tota materia catesimi subeunt illudque bono cum successu superant; completo autem decimo sexto aetatis suae anno ad examen paschale pro adultis venire obligentur;

*f) parodus vel si parodus viribus defecerit, eiusdem cooperator, *praeparationem* ad catesim et quidem ad utramque conscientiose instituat, ne ob catesim defectuosam, ineptem et inanem fideles ab illa arceantur vel pueri et puellae aversione quadam impleantur;*

g) sermo quoque sit affabilis, comis, serius quidem at nullo modo offensivus neque in catesi ad populum, neque in illa repetitione cum iuventute, ut omnes ad illam quasi vi quadam attrahantur libenterque ad illam convolent;

h) nec diutius illa protrahatur, ac stabilitum est.

2. De paschali institutione catedhetica.

Examen paschale iam ab immemoriali in dioecesi nostra vigens in appendice ad »Ordinem cultus divini publici anno 1827« iterum inculcatum fuit.

Illustrissimus praedecessor noster, *princeps-episcopus Chrysostomus* anno 1882 novam nostris temporibus adaptatam instructionem desuper edidit.

Ut vero examen hoc paschale *rite nec non in omnibus parochiis uniformiter peragi valeat*, *Synodus nostra mandata edita sua facit mandatque*:

a) finis huius examinis sit complementum libri »Status animarum«, repetitio partialis catechismi, institutio de variis obligationibus status respectu habito ad indigentias locales, ut fideles in vita christiana firmentur, contra varia pericula nostrae aetatis praemuniantur et ad fructuosam susceptionem Sacramentorum poenitentiae et Eucharistiae praeparentur;

b) examen instituatur infra I. Dominicam Adventus et II. Dominicam Quadragesimae;

ad examen invitentur *seorsim* viri, seorsim mulieres, seorsim pueri, seorsim puellae;

tempus ante meridiem aptum est pro viris et iuvenibus, tempus vero post meridiem pro puellis et mulieribus;

pagi unde iuvenes et puellae eodem die invitantur selligentur ita, ut iuvenibus redeuntibus et puellis advenientibus nulla detur occasio conveniendi in via;

qualibet vice tot invitentur fideles, ut parochus cum quolibet brevissimo saltem tempore occupatus esse possit;

invitatio fiat die dominica ex ambone et quidem voce clara et tam alta, ut ab omnibus facile intelligatur;

c) invitare autem ad examen oportet omnes exceptis senibus, puerperis, reconvalcentibus et personis, quae vere impeditae in doctrina christiana sufficienter instructae sunt, secus seorsim venire tenentur;

si in parochia *fabricae* inveniuntur, parochus cum possessore fabricae de tempore conveniat, quo operarii absque damno laborem interrumpere et ad examen comparere possint; si talis consensus obtineri non potest, pro operariis dies dominica vel tempus vespertinum designetur;

in parochiis, in quibus *viri et mulieres quacumque ex causa ad examen venire cunctantur*, uno anno invitentur viri, quibus schedula etiam pro mulieribus traditur; sequenti anno

vero invitentur *mulleres*, quibus tunc schedula pro viris committitur; quo in casu mulieres et viri invicem ad examen semet compellent;

d) examen vero in *domo parochiali* teneatur, vel in *aulis*, quae pluribus in locis pro variis conventibus praeparaatae sunt;

si vero *parochia ampla* est, tunc tale examen apud *ecclesias filiales* haberi potest et debet, quo parochus vel cooperator excurrat;

e) ad examen compareat sacerdos veste talari^o indutus prae manibus tenens librum »*Status animarum*«;

praemissa brevi *prece* ad *Spiritum Sanctum* e libro »*Status*« legat nomina membrorum familiae, quae comparere debuerunt et quidem potissimum tempore, quo patres familias vel matres familias comparuerunt; detectos defectus statim corrigat;

ne fideles ab examine deterreantur, *interdicuntur quaelibet collectae* exceptis donis, quae hac occasione pro necessitatibus ecclesiae in *usum* venerunt;

examen brevi *oratione* in *gratiarum actionem* concluditur;

f) materia examinis et catecheticae instructionis triplex est: primo examen modo catechetico fiat super *materiam hoc anno praescriptam*, quae eadem sit, ac per trimestre in *concionibus catecheticis* pertractata fuit; in initio harum concionum fidelibus *annuntiare* oportet, materiam concionum fore obiectum examinis paschalis;

deinde sequitur gravis *institutio de obligationibus et periculis status* v. gr. iuvenum, puellarum, parentum, maritorum, virorum; qua occasione cum viris partim etiam cum iuvenibus pertractari poterunt *pericula*, quae *ecclesiae, familiis, scholis et societati in genere imminent*; nec pericula praetermittantur, quae e *constitutionalismo ipso*, quo fere omnes civitates reguntur, contra *principia auctoritatis et subiectionis* emanant; *operariis* non solummodo iura, sed etiam *obligationes* explicitur; ferventer commendabuntur associatio a Sacra Familia, Tertius Ordo, Congregationes Marianae, Apostolatus orationis, associationes gymnasticae, item bona folia et boni libri;

ad finem doctrina repetatur de *Sacramento poenitentiae et Ss. Eucharistiae*, ad quae frequenter suscipienda omnes, praeprimis puellae et iuvenes, verbis efficacibus excitentur;

g) praeparatio ad hoc examen diligens sit atque conscientiosa; ab illo enim vita religiosa parochianorum multum dependet; iam *de cursu anni* sacerdos notare sibi poterit eventus, quibus instructio applicari debet, atque quibus illa explicari poterit;

qualibet vice viam procedendi, admonitiones salutares, finem obtainendum sacerdos accurate pro circumstantiis sibi determinabit;

h) puellas et iuvenes severius examinabit; viros et feminas vero magno cum respectu tractabit, magis explicando et applicando procedet, interrogations ita concipiet atque proponet, ut responsum sat facile dari queat, ne *viri publice humiliati venire amplius detrectent*;

omnino vero *abstineat* sacerdos a quaestionibus inutilibus, captiosis, aerigmaticis, *abstineat* quoque a *libidine suggillandi et confundendi* personas ignorantibus vel sibi minus gratas, *nec umquam ostendat*, se *de cursu anni* ab uno vel altero fidelium *offensionem passum esse*; item numquam peccata enormia *singulorum carpiat*, sed tantummodo *crimina, quae latius serpunt*, quibus boni mores corrumperentur;

j) viris et mulieribus et in genere personis aetate proxectoribus schedulam examinis non deneget, nisi e *causa gravissima*;

nec iuvenes vel puellas absque schedula dimittat, dummodo necessaria necessitate medii et pracepti saltem sufficienter sciant bonamque ostendant voluntatem; nam *dimissi vix redibunt*, sed offensi non solummodo sacerdotem, sed forsitan etiam ecclesiam vitabunt; neque spes adest fore ut catechismum melius addiscant;

k) sciscitetur de personis, quae non venerunt, deque *causa*, cur non venerint; *privatum* quoque data occasione absentes suaviter admoneat atque pro futuro anno commonefaciat;

heros et parentes moneat de peccato omissionis, si famulos vel infantes suos *absque legitima causa domi* retinuerint vel volentes obligationi satisfacere malitiose impediverint;

1) tempore paschali finito parochus provocabit patres vel matres familias, ut schedulas de peracta confessione paschali sibi vel personaliter vel per alios tradant simulque personam de sua familia denuntient, quae Sacraenta fors neglexerit, ut a parochio iusto tempore de obligatione moneri possit.

3. De Sodalitate doctrinae christianaæ.

Si *institutionem catecheticam* in scholis elementaribus, explanationem catechismi qualibet die Dominica hora pomeridiana, conciones catecheticas nec non examen paschale præ oculis habeamus, affirmare poterimus, *in dioecesi nostra de addiscenda doctrina christiana satis provisum esse.*

Ast in visitatione canonica reperimus, propter *circumstantias locales* inveniri fideles, quibus institutio fere nihil prodest. Cur? Quia propter longitudinem vel difficultatem itineris ad institutionem habitam diebus dominicis comparere non posunt.

Ob oculos nobis versantur *parochiae amplissimae* cum pluribus ecclesiis filialibus ab ecclesia parochiali valde dissitis nec non *parochiae montanae*, ubi accessus ad ecclesiam parochiale perdifficilis aestimari debet. Quapropter iuvenes et puellæ, viri et mulieres vituperari minime possunt, si ad cateschesim dominicalem nunquam vel vix umquam veniunt.

Inde vero *haud parva pericula* pro bonis moribus enasci solent. Tempus pomeridianum *otio* teritur, otium vero initium est omnium peccatorum; saepe fit, ut *puellæ et iuvenes* in variis domibus confabulationis et recreationis causa *confluant*, in varias incident tentationes prolabanturque in peccata gravia. Insuper absoluta schola *doctrina christiana oblivioni* datur et quidem eo tempore iuvenili, quo omnem vim suam in animos iuventutis exserere deberet.

Quae mala, de quibus pastores animarum ingemiscunt, licet non omnimo auferri, multum saltem minui possent, si

Sodalitas doctrinae christinae, a Pio Papa X. episcopis auctoritative inculcata, in talibus parochiis erigeretur.

Ne timeant sacerdotes fore, ut novum onus illis imponatur, quod existentibus oneribus superadditum portare amplius non possent. Ut angores removeantur, Synodus naturam huius »Sodalitatis« breviter explanabit:

a) *finis primarius* huius Sodalitatis est, *congnitionem doctrinae christinae* illis personis nec non illis parochiae partibus *praebere*, quae ob locales circumstantias in doctrina christiana sufficienter non sunt institutae, vel quae illam aquisitam, eo quod cateschesim dominicalem frequentare non possint, oblivioni dederunt;

b) *alter finis* consistit in eo, ut sodales tum exemplo tum precibus et persuasionibus *ad conciones et ad cateschesim permovere* eos, qui ob negligentiam, ob indifferentismum, vel ob pravam consuetudinem, v. g. iuvenes et viri cateschesim parvi vel nihil aestimant, illamque propterea nunquam audiunt; ut iuventutem tempore cateschesis *invigilent*, ut *eleemosynas* tribuant vel colligant, quibus catedchismi vel alii libri comparentur, ut pro gratia et divina benedictione *preces* ad Deum fundant;

c) quem multiplicem finem *personae laicae* utriusque sexus promovebunt et quidem sub directione sui parochii vel curati, vel cooperatoris, cuius erit, primo personas volentes atque idoneas *ad institutionem* invenire illisque ad tam grande opus excitare animos; secundo quaerere personas, quae ex amore Dei paratae erunt iuventutem *invigilare*, vel *eleemosynas* querere, vel saltem *preces* fundere;

d) parochus vel cooperator *novit personas, quae in doctrina christiana praeceteris instructae* sunt: inveniri autem poterunt vel in Tertio ordine, vel in Congregatione Mariana, vel in numero magistrorum, praecipue magistrarum in scholis popularibus, vel in aliqua excellentiori familia; quas ad se vocabit, de modo procedendi informabit illamque partem doctrinae christinae, in qua alios instituere debent, breviter illis explanabit;

e) tunc partes a parochiali ecclesia dissitas pro numero fidelium in *varios dividet coetus* et quidem seorsim illos iuvenes et seorsim illas puellas, quae scholam elementarem amplius non frequentant; dein seorsim infantes minoris aetatis; *civilibet coetui praeficiet magistrum resp. magistram*, qui ad opus doctrinae christianaee sponte semet obligaverunt;

f) *tempore a parocho constituto, vel saltem approbato*, coetus convenit; a magistro resp. magistra ea *pars catechismi*, quam parochus pro tali hora determinavit, *legitur*, breviter explanatur fors ope idonei libri et memoriae traditur; potest autem eligi pars, quae eo tempore in ecclesia traditur;

g) *locus* vero, in quo coetus congregatur, esse posset ecclesia filialis, vel spatiiosius *habitaculum* cuiusdam domus vel spatium in alio *aedificio oeconomico*; sed locum pro coetu semel determinatum mutare non licet; etiam sub *divo* coetus haberi potest, si tempus id permittit;

h) curatus animarum coetus hinc inde *visitabit*; bis vel ter quolibet anno *coetus omnes convocabit*, examinabit et quasi ad certamen invitabit; magistros resp. magistras ex ambone laudabit, successus extolleat, ad Sodalitatem invitabit, indulgentias proclamabit;

j) Sodalitati autem, prouti ex numero sub b. et c. patet, nomen dare possunt non solummodo personae, quae magistri resp. magistrae munere fungi intendunt, sed quaelibet aliae piae personae, quibus officium incumbet vel *ignaros ad cateschesim impellere*, vel tempore cateschesis iuventutem *invigilare*, vel *eleemosynam ad emendos cateschismos* aliosque libros utiles *dare et colligere*, vel *precibus* ad Deum fusis gratias ad obtinendum finem necessarias implorare;

k) *archisodalitas*, cui omnes aliae aggregari debent, iam a Paulo V. *Romae* instituta, a Pio vero X. anno 1905 reformata fuit; in statutis eiusdem expresse dicitur, *huic archisodalitati ius esse constitutas ubivis per catholicum terrarum orbem doctrinae christianaee sodalitates aggregandi easque admittendi in communionem indulgentiarum, bonorum spiritualium ac privilegiorum, quibus directa concessione ipsa fruitur*;

l) ut vero sodalitas aggregari possit, necessario requiritur:

1. *ut eadem canonice fuerit constituta decreto Ordinarii loci;*

2. *ut ad Archisodalitatem deferatur una cum supplici libello authenticum exemplar decreti, quo sodalitas constituta fuit atque Ordinarii commendatitiae litterae;*

m) in qualibet dioecesi eam doctrinae christianaे Sodalitatem aggregare archisodalitati romanae satis erit, quam Sodalitatem Ordinarius statuerit esse centrum ceterarum eiusdem generis; hac enim aggregata simul aggregatae censentur aliae omnes sodalitates, quae in eadem dioecesi constituuntur;

n) talem sodalitatem centralem in ecclesia nostra cathedrali erigendam procurabimus.

§ 2.

De speciali institutione in doctrina christiana.

Quis ignoret, *luxuriae peccatum* nostris temporibus maiore vehementia maioresque extensione grassari ac temporibus praeteritis. Praecipue de *frequenti masturbatione*, quae tum iuvenes, tum puellas infecit, animarum pastores vehementer lugent quaeruntque remedia tum naturalia tum supernaturalia, quibus tantis et pro societate tam pernitosis malis occurtere possint.

Boni confessarii vero atque missionarii insuper dolentes conqueruntur de frequenti horum peccatorum *reticentia* in s. confessione atque de permultis *sacrilegiis* continuatis hic inde per plures annos inde a tenera aetate, unde remedia supernaturalia ad vulnera concupiscentiae sananda per se aptissima, inefficacia redduntur.

Tales querelas, proh dolor, veras esse, Nos ipsi *propria edocti experientia* affirmare possumus. Multi sacerdotes de indefesso studio nostro mirantur, quo non solummodo tempore visitationis canonicae, sed aliis quoque opportunis occasionibus confessiones fidelium excipere solemus.

Ecce solutionem aenigmatis: *vulnera gravia*, quibus praeprimis iuventus laborat, deteximus et quotidie plura de-

tegimus; dolentes de tot peccatis, dolentes de innumeris iuvenibus et pueris, qui de salute sua fere iam desperaverunt putantes emendationem esse impossibilem, Nos in tribunali divinae misericordiae *causas* vulnerum investigamus *remedique* oportuna quaerimus.

Variis *quaestionibus conferentiis* pastoralibus propositis etiam clerum Nostrum ad similia studia excitare conabamur. Cui fini ex Nostra intentione inservire debuissent praecipue *quaestiones propositae conferentiis* pro anno 1906 nec non *tractatus Noster sat prolixus* in recensione solutionum, quae a conferentiis nobis propositae fuerunt.¹⁾

Diurna et frequenti experientia edocti sumus, *causam* tot malorum sitam esse tum in *universa educatione domestica* inde ab incunabulis, tum in manca, nimis generica, *insufficienti institutione puberum et sponsorum de sexto decalogi praecepto*.

Post diurnam meditationem atque post frequentes ferventesque preces proposuimus nobis *primo* in hac *praesenti Synodo* ea principia delineare, quibus clare cognitis animarum pastores efficacius malis recensitis occurrere possent, dein decursu anni *plures libellos* edere, qui meliori educationi infantium atque profundiori institutioni puberum et sponsorum inservirent.

1. De educatione infantium universim.²⁾

Infantes inde ab incunabulis ita educari debent, ut ope *universae educationis* contra peccata luxuria, quae praecipue ab adepta pubertate imminent, *praemunirentur*. Quapropter media *tum indirecta, tum directa* adhibere oportet.

Media indirecta.

Ad media servandae castitatis *indirecta* recensetur *omnis educatio* infantium, qua infantium intellectus ita edocetur atque voluntas ita corroboratur, ut periculis externis et internis

¹⁾ Škof. List, 1906, ad finem.

²⁾ Cf. Ludwig Auer, *Alte Ziele, neue Wege*, II. Teil, Erziehungslehre, praecipue pg. 413—453; Ernst, *Elternpflicht*.

infans resistere valeat. Quem in finem *educatores* ad nutus sequentes attendant:

a) infans omnimodae *verecundiae* assuescat; summi momenti est, ut *sensus contra laesionem verecundiae magis magisque acuatur*; iam *ante conscientiam* sui infans conscientiose custodiatur ab omni *denudatione* vel a quocumque tactu genitalium; adepta vero conscientia sui magis adhuc anxie foveatur consuetudo corpus semper habere vestibus tectum nullamque partium genitalium *admittere contrectationem*; unica mater excipitur, quae prolem suam provide tenetur lavare; lotionibus enim infans ad *puritatem corporis* omnimodamque munditiem amandam atque procurandam inclinabitur; simulque a matre edocebitur, quomodo serius *lotiones ipse* etiam in genitalibus, ast *verecunde et caute facere debeat* et non tam nuda manu, quam potius spongia vel lino humefacto.

b) infans custodiet verecundiam ab initio *ex obedientia erga parentes*; ast *paulatim causas quoque noscere debet*; quem in finem *periculosum esset loqui de rebus sexualibus*, sed sufficit, ut infans magis magisque *superioritatis* sua super animalia conscious fiat ita, ut de *similitudine* cum animalibus illum *pudeat* atque ut maiorem cum animalibus contrahere similitudinem *timeat*; sciat infans, oportere nos in omnibus, in quibus similes animalibus sumus, *valde caute agere*, ne *similitudo maior evadat*, nosque de superioritate nostra deiiciamus; *talis sensus*, qui licet infimus, solidus tamen gradus moralitatis est, *ardenter nutritur*, est enim valde *proficuum medium* indirectum contra *sexuales depravationes*, quod utilitate sua non carebit neque eo tempore, quo de rebus sexualibus sermo institui debebit;

c) infans de *utilitate edoceatur organorum corporalium*, *quae secretioni inserviunt*; sciat, illas secretiones pro valitudine necessarias esse, ex perturbatione earum valetudinem subrui morbosque oriri; sciat quoque infans in secretionibus contineri *germen mortis atque putredinis nocivae valetudini corporali*, adeoque *loca secretionibus destinata cito relinqu debere*; *tali modo* infans a *periculis praeservabitur*, quae in

locis *secretis* illum manent; infans ergo pudore impleatur de functionibus, quas cum animalibus communes habet; ast organa, quae *generationi inserviunt*, discat honori habere multumque aestimare; haec organa *numquam ut per se inhonesta, peccaminosa illi proponantur*; nam quod Deus creavit atque ad fines determinatos ordinavit, dishonestum esse nullo modo potest; discat infans, *corpus suum ut permagnum Dei artificium respicere atque multum revereri*;

d) ut medium indirectum contra depravationem sexualem explicatio de mundi conservatione optime servit; quae explicatio eo fine instituitur, ut in conservatione mundi infans revereri discat Dei potentiam, sapientiam et amorem. Cognitio isthaec sit ut *templum*, in quo Deus adoratur et *templum* in quo suo tempore *cognitio quoque ei occurrit de propria origine, de mysterio propagationis generis humani*; vae educatori, vae infanti, si ille propagationem generis humani prima vice non in hoc templo, sed in palude voluptatis sensualis conspexerit; miretur infans sapientiam Dei in modo, quo plantae propagantur, dein in modo, quo aves, insecta oriuntur intelligatque hunc modum propagationis esse voluntatem Dei, opus Dei;

e) educator occasiones arripiat loquendi de puro, sancto, nobili amore duarum personarum, quae semet invicem adiuvant, ad bonos mores impellunt, a pravis moribus vero retinent; proferat quoque exempla amoris caeci, pravi, qui non amor, sed odium dici debet; infans, qui verum Dei et proximi amorem noverit, atque exerceat, perhorrescat amorem egoisticum, impurum, pravum sensualem; immo de amore quoque sponsorum sermo fieri potest, sponsorum scilicet, qui proposuerunt, se in perpetua coniunctione vivere, invicem in omni bono adiuvare, sibi invicem benefacere, praecipue in ardua ad salutem via opem sibi praestare atque ad illum ultimum finem unitis viribus tendere velle; hoc modo corda infantium, quin de sexu mentio facta fuisse, ad purum amorem excitabuntur, ab impuro, pravo vero praeservabuntur;

f) durante tali labore saepius occasio praebetur, attentos reddere infantes ad stupiditatem et miseriam et depravationem.

vationem eorum hominum, qui Dei sapientiam, amorem et benignitatem lucentem nobis in miris Eiusdem operibus, non cognoscunt, vel irrident et spernunt, vel fors corrumpunt devastantque. Verosimiliter fiet, ut infans una vel altera vice verbum audiat indecens, pravum, rude illudque domi narret en occasionem opportunam edocere infantem de periculis a pravis sociis, a rudi sensu, a ferocibus verbis, ab impuris aspectibus et actionibus;

g) ast sola cognitio non sufficit, nisi eodem tempore etiam voluntas robur accipiat; discat infans in omnibus circumstantiis cogitare, iudicare et tunc eligere, ut propriae activitati asuescat; propterea educatio ab infantibus pugnam et victoriam postulet contra varias inclinationes, contra varia desideria, contra propriam voluntatem, qua illicita et prohibita appetuntur idque ex intentione pura quae omnibus operibus praeluceat; discat infans resistere motibus illicitis, conformare semet disciplinae, adimplere obligationes omnes quidem propria voluntate et intrinseca persuasione, non vero solummodo mechanice ab aliis compulsus et propter poenas, quas secus incurreret;

h) curet quoque educator, ut omnis possibilis tentatio relate ad propagationem hominis et ad res sexuales ab infantibus omnino removeatur et arceatur; tota haec quaestio sancte semper et reverenter tractetur: veneni instar prohibetur quilibet illicitus iocus, quilibet impudens aspectus, quodlibet pravum verbum, quaelibet obscoena pictura vel cantilena, quodlibet impurum exemplum; si e vita animalium periculum imminet, actiones animalium ut animales, hominis ergo summe indignae, declarentur; felices infantes, quibus discrimen inter homines et inter bruta clare patet!

j) ab infantia omnes assuescant de matrimonio sancte sentire; tales notionem de sanctitate matrimonii infantes ex exemplo parentum hauriant; sermo levis, vel sermo turpis de sponsalibus et de matrimonio nunquam instituatur coram infantibus, sed qualibet occasione sanctitas matrimonii extollatur, ita tamen, ut virginitas ex amore Dei p[re] matrimonio celebretur;

k) motus intrinseci periculosi, qui aspectibus variis, interrogationibus captiosis, pruritu omnia videndi et sciendi semet produnt, ab educatoribus *haud parvi* pendantur; sunt enim *praeambula depravationis*; quapropter infantes saepe *moneri* debent, quod pravos socios, sermones, actus ut *pestim mortiferam* fugiant, atque *matrem de iis*, quae percepunt, *certiores reddant*; talis infantium confidentia cum tenero amore excipiatur, et infans, licet fors iam peccaverit, a matre non modo duro, sed miti et compatiens tractetur;

l) educatores caveant, ne infantes e domo et e sensu infantium arripiantur atque in societatem cum adultis in itinera, in theatra, ad saltationes, ad colloquia adulorum admittantur; nam tunc infantes *desinent esse infantes*, nimis cito ante tempus maturescent et verosimiliter in vita sexuali corrumperunt; quod praecipue de *puellis* affirmari debet, in quibus praे pueris foveri debet sensus intimus sanctae verecundiae et omnimodae decentiae; qui infantibus potum *praebet alcoholicum*, cibos valde *conditos*, vestes modernas, qui e domo paterna eos educit, impudicitiae atque depravationi sexuali illos tradit;

m) sed ad omnia praedicta media oportet ut media supernatura accedant, sine quibus media naturalia fructu carebunt; *educatio spiritu religioso*, qui e vera Dei cognitione nascitur, imbuta sit; noverint infantes Deum Creatorem, omnimodamque ab Illo *dependentiam* atque strenuam obligationem, qua voluntatem Illius adimplere adstringuntur; noverint hanc voluntatem Dei ad ipsorum propriam salutem aeternam, immo et temporalem tendere; noverint infantes *amorem divinum*, prout in revelatione, in redemptione, in institutione Ecclesiae et Sacramentorum manifestatur, ut amore incensi fugiant, quaecumque Deo displicant; noverint infantes *necessitatem divinae gratiae* ad vitanda peccata, ad exercendas virtutes, ad vitam christianam; noverint necessitate compulsi hanc *gratiam a Deo implorare* et propterea ab oratione numquam desistere, cultum divinum frequentare, *Sacraenta quo saepius percipere*; tenero amore affiantur

erga b. V. Mariam et ad Cor divinam Salvatoris; venerari inducantur Angelum custodem, s. Aloisium, s. Stanislaum;

n) hoc modo *educatio* instituatur atque continuatur inde ab incunabulis, quin sermo factus fuisse de re sexuali, infantes nihilominus contra pericula depravationis sexualis prae-munientur; ad hunc finem *omnes educatores cooperari* tenentur: sacerdos, parentes, magister.

Media directa.

Sub mediis directis intelligitur *institutio expressa de rebus sexualibus*. Talis institutio necessaria erit eo tempore, quo pueri et puellae *puberatatem* assequuntur. Hoc enim tempore *novos*, prius incognitos *motus corporales* sentire incipiunt, *differentia* quoque utriusque sexus magis magisque illis innotescit, immo *inclinationes* in dies vehementiores erga alterum sexum percipiuntur. Inde fit, ut infantes frequentius et intensiori modo *quaestione de origine singulorum hominum, de origine propria occupantur*.

Educatores, praeprimis parentes ad *tales quaestiones parati esse* debent, scireque tenentur, quid agendum *ne parvuli scandalum* patientur. Quare fusis ad Deum precibus bene perpendant, an *instructio sexualis necessaria* sit et *quo ambitu*.

Ast *parentes nostri* hisce in rebus minime instructi sunt, in *plena ignorantia versantur*, et quidem in maximum corporale et spirituale prolis detrimentum. *Unde vero parentes* scientiam desuper sufficientem obtinere poterunt? Nam *prae ceteris educatoribus parentes* vocati sunt, ut prolem suam in re sexuali de scitu necessariis edoceant; institutio *individualis* sit oportet, quae igitur *in schola omnibus discipulis simul dari non potest*. Quapropter parentes de modo procedendi sufficienter instructi inveniantur. A quo? Respondendum: a pastore animarum.

Pastor animarum ergo edocebit parentes sicut de educatione in genere, ita etiam de institutione sexuali in specie, ut parentes modum procedendi bene percipient. Licet Synodus *instructionem plenam* desuper dare *non possit*, utpote

quae speciali libello continebitur, *principales saltem nutus* pastoribus animarum proponere vult.

a) si *educatio universalis* ratione superius descripta instituitur, *instructio sexualis* iusto tempore absque speciali periculo depravationis dari poterit;

b) sunt vero *varii gradus* huius informationis; *infans septem, novem, decem* annorum impulsus forsitan ab externis circumstantiis, quin de actu sexuali cogitet, derepente quaeret: unde ego sum, unde meus frater, mea soror? *Non licet mentiri*, veritas a parentibus numquam, neque hac in re laedatur, ne infantes cognito mendacio parentum confidentiam in verba eorum amittant. Sed infantibus bene educatis hac aetate verosimiliter sufficiet responsum: »*infantes a Deo veniunt, qui illos parentibus dat, ut curam eorum gerant illosque iterum ad Deum perducant*«.

c) si vero infans nondum contentus est, quia de nativitate fors quaedam audivit, tunc iam hac aetate de *maternitate* caute poterit edoceri! »*Deus permittit ut infans in matre vivere incipiat*, atque ad illud tempus in illa crescat, quo idoneus evadit separatim ab illa vivere; hoc tempore in lucem editur; quia vero cibis ordinariis ali non potest, Deus matri lac procuravit, ut per aliquot menses infans ab illa nutritur; durante tempore, quo infans a matre sub corde portatur atque ab illa in lucem editur, mater multa sustinet, immo dolores graves patitur; quapropter Deus in corde matris et infantis magnum amorem incendit, quo semet invicem prosequuntur; quare infans matri maximas et perpetuas debet gratias«.

d) infans tali responso fere semper contentus erit; ast hinc inde de *discrimine quaeret inter puellas et pueros*; primum responsum esse potest: tale *discrimen a Dei voluntate provenire*, qui pueros et puellas habere vult;

e) si vero infantes ad pubertatem pervenerunt, motusque atque instinctum sexualem licet nondum clare percipient, verosimiliter *ulterius quaerent*; si autem tacent, nihilominus ex eorum physiognomia, ex omni agendi ratione patebit *intrinsece* eos desiderio sciendi plura occupari; nunc *instructio sexualis*

überior necessaria esse videtur, quam mater filiabus, pater vero filiis, vet mater utrisque dare debet, ne infantes rem aliunde modo obscoeno comperiant;

f) quo in casu mater resp. pater bene perpendat, quo modo infantem de re sexuali sciscitantem edocere possent, quin periculum perversionis sexualis timeatur; si infans modo supra exposito educatus fuit, institutio haec nec difficilis, nec periculosa erit; *fiat vero ita*, ut infans ex agendi ratione matris cognoscat, *rem*, de qua nunc agitur, esse *summi momenti*, esse *sanctam*, esse *mysteriosam*, esse *a Deo volitam*, *a Deo institutam*, neque prouti res communis vel profana tractandam, sed caute et quasi ante oculos Dei;

g) *formulare instructionis firmum et immutabile dari non potest*, nam institutio a multis circumstantiis dependet; nihilominus auctores catholici hunc procedendi modum *commendant*:

»Deus omnia creavit, atque omnia conservat; res vita carentes diu perdurant; res autem viventes: plantae, animalia, homines oriuntur, crescunt, intereunt vel moriuntur; ut vero res viventes nihilominus conserventur, *creator* naturae earum facultatem iis indidit procreandi nova entia, novas plantas, nova animalia, novos homines; *plantae* producent *semen*, quod in terram projectum germinat, crescit, floret atque semen novum producit; similiter etiam in *animantibus semen vivificum* producitur, ast in *animalibus semen* non cadit in terram, sed semen ab animali masculino in interiora animalis feminini venire debet, ut in hoc animali vivere atque in novum animal crescere valeat; si hoc animal ad sufficientem evolutionem pervenerit, in lucem editur.«

modus similis in ortu quoque novi hominis obtinet; semen viri venire debet in corpus mulieris, unde Deo permittente volente et cooperante corpus novi hominis suscipitur, cui a Deo anima immortalis creatur; hoc modo infans concipitur; bruta nesciunt, quid agunt; homo vero scit, debetque omnes actus secundum voluntatem Dei ponere, secus peccatum gravissimum contra Deum committeret; *homini numquam licet sequi instinctum caecum et sordidas passiones*, sed in obe-

dientia erga Deum semper et ubique, ergo etiam in hoc sancto opere agat oportet; quapropter illa coniunctio patris et matris, quae ad prolem procreandam necessaria est, Deo ita disponente numquam licita est, nisi in matrimonio, quo pater et mater, postquam sibimet invicem promiserint, procreandi filios in amore et fidelitate nec non curam habendi pro illis, coniuncti fuerunt; extra matrimonium nihil tale fieri debet, nullus usus organorum, quibus conceptus filiorum peragitur, absque gravi damno corporis et absque gravi peccato permissus est»;

»infans ita conceptus per novem menses in matre manet, nam absque matre nec vivere nec crescere posset; postea a matre, quae multos dolores sustinet, in lucem editur; sed infans per plures menses a sanguine matris, quod volente Deo in lac convertitur ali debet, dum interea pater in sudore vultus sui familiae ad vitam necessaria procurare tenetur»;

»tal is modus propagandi genus humanum a *divina sapientia et bonitate procedit; vae homini, qui aliter ageret, vel istas institutiones irridere, despicere, invertere conaretur; matrimonium* fons est magnae felicitatis pro patre et matre et pro filiis, si parentes divinam voluntatem semper praे oculis habent, secus vero, si parentes contra voluntatem Dei agerent, matrimonium fons erit peccatorum, poenarum a Deo renderarum, infortunii pro corpore et pro anima, quasi infernus hisce in terris«

h) tali vel simili modo *magna que cum reverentia instructio sexualis proli principaliter a matre detur: si universa educatio et necessaria haec instructio sancte et, prouti exposuimus, fini convenienter peragitur, spes fundata affulget, fore ut infantes a depravatione sexuali praeserventur.*

2. De instructione puberum.

Ast non obstantibus omnibus curis nihilominus vel propter *internas tentationes* vel propter *externam seductionem* evenire potest, ut infantes in *gravia peccata luxuria*e prolabantur. Prae oculis habemus peccatum *masturbationis*, quod tempore adeptae pubertatis, vel iam prius ortum suum habere potest.

Proh dolor, quod masturbatio in utroque sexu valde *frequens* sit et, quod adhuc peius est, in *confessione* facilime *reticeatur*, unde fit, ut consuetudo in dies magis crescat et ut propter reticentiam nulla remedia, neque naturalia, neque supernaturalia, quibus morbus sanaretur, applicari possint.

Enumeratis *causis* masturbationis Synodus nostra animarum pastores edocere conabitur, quomodo *vulnus detegere*, dein vero detectum *curare* valeant.

De causis actuum carnalium et masturbationis.¹⁾

Educatores, praecipue parentes *causas* actuum carnalium cognoscere debent; secus enim prolem suam a peccatis carnis praeservare haud poterunt. Tales causas Synodus breviter enumerabit, ut animarum pastores illas pree oculis habentes idonei evadant, infantes, *praecipue vero parentes* de illis commonefacere:

a) *Mala exempla*, quae influunt in omnes, potissimum in pueros et puellas, praesertim viva imaginatione ac ingenii acuitate praeditos: haec mala exempla occurunt in locis, in quibus multi homines colliguntur: in scholis, colegiis, carcerebus, opificiis, officinis; mala exempla saepe coniunguntur cum sermonibus ac lectionibus impudicis, cum aspectu imaginum turpium; in locis, in quibus personae diversi sexus commiscentur, fere semper verae officinae impudicitiarum habentur; saepe et in familiis ob nimiam libertatem vestiendi, praesertim tempore aestivo, loquendi, vel ob nimios affectus significationes, ut oscula, amplexus, vitia obscoena addiscuntur; in familiis vero pauperioribus frequenter in eodem lecto iuvenes mares et feminae dormiunt; ex hac nimia familiaritate et contactu masturbatio et incestus saepe notantur;

b) *otium* est pater omnium vitiorum, potissimum vitiorum carnis; quum enim mens nulla occupatione utili tenetur et corpus pigrescit, saepe turpes cogitationes oriuntur et organa genitalia excitantur;

¹⁾ Antonelli, Medicina pastoralis, vol. I., pg. 258—299, 305—399.

c) *solitudo* magnum fomentum impudicitiarum est; vir aut mulier impudici solitudinem quaerunt; agricultae ruri viventes, pastores ac custodes animalium, qui diu soli manent, excitati a coitu animalium vel aspectu eorum genitalium, solitariis aut bestialitatis peccatis vacant;

d) *natura ipsa ciborum*, quibus vescimur, multum influunt in motus sensuales excitandos; generatim affirmari potest cibos satis nutrientes et excitantes uti usus diurnus drogarum, crustaceorum, piscium, ostrearum etc. erectiones sexuales producere, at cibos quidem nutrientes at tonicos adversari hisce excitationibus; ratio ciborum mixta satis est commendanda; pro iuvenibus usus coffei et ciborum continentium alcool auferratur; vini minima sit quantitas, aquae thermales sulfureae quam maxime excitant;

e) *nonnulla anni tempora*, quibus totum corpus se reficere et maiores vires acquirere videtur, h. e. ver et aestas, etiam ad excitandam venerem valde conferunt;

f) alia causa est *ratio institutionis nostrae iuventutis* in scholis publicis, si magistri et praceptorum indifferentes vel athei doctrinas christianas negligunt vel etiam negant tolerantque, ut scholares *quoscumque libros* contra fidem et bonos mores, immo libros directe ad peccata sexualia incitantes legere valeant;

g) addendae sunt adhuc nonnullae aliae causae, quae licet *non in omnibus eodem modo* agant, numquam *absque periculo* evadunt; his *saltationes* adnumerantur, quae congestiones in utero adducunt, quibus organa sexualia excitantur, motusque carnales producuntur, unde periculum consentendi imminet; notandae sunt *machinae ad suendum*, motus enim pedum transmittitur parti inferiori ventris et causat etiam plenam satisfactionem cum suis effectibus; unde saepe fluxus oritur leuchorrhicus tam frequens in mulieribus his machinis utentibus; causae, quibus sexuales excitationes inducunt sunt adhuc: *diu sedere, lecto cubare supine*, cum hi status congestiones afferunt in medulla spinali, gestare *vestimenta nimis angusta*, quae in motu confricationes in genitalibus causant etc.

h) supersedemus in enumerandis causis intrinsecis, quae in organismo humano sedem habent et excitationem centrorum generationis cum relativis effectibus afferre valent, quae vel physiologicae vel pathologicae sunt; sed tantum *causam frequentiorem masturbationis* adhuc signamus, nempe tempus *pubertatis* adeptae, quo iuvenes primas pollutiones, puellae verae initium suae periodi percipiunt, valde excitantur, ad contrectationem partium genitalium inclinantur atque propter voluptatem continuant, fors *rem aliis communicant* causantque per tactus impudicos pollutionem in se et in aliis.

De investigatione in peccata masturbationis.¹⁾

Cum causae masturbationis tam frequentes sint, an mirum est, si *tot peccata* huius generis comittuntur? Si *parentes* prolem suam modo supra descripto educare contendenter, si insuper pericula nunc enumerata a prole arcere conarentur, periculum masturbationis multum imminueretur.

Ast *ubi sunt parentes*, qui educationi eo modo insisterent, quique pericula actuum carnalium cognoscerent et cognita a prole arcerent? Fere nullibi. Propterea *depravatio sexualis tam late* grassatur.

Remedium quippe praescribi posset in confessionali, ast vulnus non detegitur semper; *poenitens* enim confusus saepe silet, *confessarii* vero *indagare ulterius non audemus* et quidem prae timore, ne *poenitens* scandalum patiatur et *innixi doctrinae*, quod in dubio, an *poenitens* ex verbis *confessarii*, quod ignoraverat, discat, aut curiositate allexus inquirere aut tentare incipiat, omnino servanda sit regula: Melius est in multis deficere, quam in uno abundare (i. e. in probabilem ruinam *poenitentis*).

Licet *timor confessarii inanis* non sit, nihilominus experientia edocti sequentem ad detegenda vulnera proponimus modum:

a) si adolescens ad confessionem venit semetque de obscenois verbis, de sordidis cantilenis, de pravis sociis vel

¹⁾ Škof. List 1906, ad finem.

solummodo de impuris cogitationibus vel desideriis accusat, caute interrogandus est non tantum de voluntario in istis peccatis, sed etiam de motibus carnalibus et de pollutionibus, quae cum talibus cogitationibus et desideriis certe coniunctae sunt quibusque verosimiliter consensum praestitit; dein interrogandus est, num fortasse etiam tactus in honestos admiserit; tunc sequitur quaestio de frequentia, diuturnitate atque de initio horum tactuum; ultimo de reticentia eorum;

tales quaestiones etiam in illis adolescentibus, qui valde honesti esse videntur atque de VI. praecepto vix mentionem faciunt, pro circumstantiis suadentur: nam certum est adolescentem cogitationibus et desideriis pravis tentatum fuisse, atque pollutiones passum esse; confessarius cognoscere cito poterit, num adolescens in istis peccaverit annon; si peccaverit, confessarius ulterius et quidem valde caute de tactibus dishonestis, deque eorum frequentia et reticentia interrogabit, nam periculum summum adest;

*b) si puella ad confessionem venit semetque de pravis cogitationibus, de obscoenis colloquiis, de prava societate accusat, de masturbatione autem silet, confessarius contentus non sit, sed postquam paternis verbis confidentiam poenitentis sibi conciliavit, de motibus carnalibus, quos puella certissime passa est, quasi persuasus, illos excitatos fuisse, illam interroget; puella verosimiliter affirmative respondebit; qua confessione primus gressus ad ulteriora vulnera detegenda iam factus, verecundia falsa ex parte saltem iam superata est, quare confessarius ulterius progrediens caute de tactibus quoque dishonestis ex voluptate peractis sciscitur; si poenitens *affirmat*, tunc facilis erit investigatio in frequentiam, in diuturnitatem et reticentiam talium actuum; de pollutione vero puella minime interrogetur, quia in feminis ob defectum seminis pollutio veri nominis non datur;*

si vero poenitens negat, confessarius peritus et sub influxu Dei e modo responsi et e voce fere semper dijudicare poterit, sit ne responsum verum vel falsum; si falsum iudicat, ad Deum suspirerat atque per ambages ad eandem

quaestionem redeat; in multis casibus conamen eius effectu non carebit;

difficilior est casus, si poenitens *neque temptationes confitetur, vel temptationes vix attingit*; persuasus de periculis et de falsa verecundia confessarius *valde caute* de temptationibus, immo de desideriis pravis, deque voluntario in iis sciscibitur; postea, nimirum in casu si viderit confitentem intrinsecis pugnis subiectam esse, de motibus carnalibus, qui cum temptationibus semper contuncti esse solent, quasi de re certa interrogabit et ultimo quasi transeunter dicat: nonne, in tantis temptationibus hinc inde et tactus minus honestos admissos fuisse; in pluribus casibus poenitens tales tactus confitebitur, confessarius vero percipiet confitentem facilius respirare, ac si magnum onus ab illa ablatum fuisse; tunc facilis erit gressus ad frequentiam tactuum et reticentiam eorum;

c) si vero poenitens *infans est, ad annos tamen pubertatis* iam pervenit, confessarius illum non dimittat nisi valde caute et coram Deo etiam de peccatis luxuriae inquisiverit; fors infans ipse, puer vel puellula, verecunde mentionem de *temptationibus* fecit, vel etiam de *verbis obscoenis*, quae audivit; tunc confessarius de *curiositate* investigabit, qua infans cogitationibus adhaerebat, vel verba talia audire desiderabat; dein ulterius progrediendo investigabit in *aspectus* et postea in *tactus* inhonestos primo solummodo *in genere*, tunc autem an illos solitarius in *se ipsum* admiserit; dein in *ortum* huius peccati investigabit, utrum ille per se tales tactus inchoaverit, an *ab aliis* edoctus fuerit; in hoc ultimo sat frequenti casu confessarius de mutuis aspectibus et tactibus interrogabit; confessarius tales quaestiones numquam praetermittat in locis, in quibus infantes *animalia pascunt* et custodiunt, et in locis, in quibus *sermones impudici* frequenter habentur et in quibus *mutua seductio* saepius occurrit; quibus stabilitis confessarius quaestionem ponat de diuturnitate, frequentia et retentia actuum;

si vero *infans puberitatem* nondum assecutus est, confessarius fere semper contentus erit admonitione de servanda verecundia et innocetia; in locis vero, in quibus *iuventus*

depravata est, vel in quibus infantes iam scandalizati inventiuntur, etiam cum talibus poenitentibus provide et caute de verbis et factis dishonestis tractandum est;

d) modum investigandi in gravia vulnera poenitentis obiter descriptsimus; sentimus autem hanc descriptionem valde imperfectam esse; immo persuasi sumus modum investigationis talis, quo nec poenitens nec confessarius detrimentum patiuntur, nec describi nec scripto addisci posse; sed necessario praesupponitur tenera verecundia in confessario, extraordinarium auxilium precibus a Deo imploratum, affectus vero paternus in poenitentem atque sensatio quasi instinctiva, utrum ulteriores quaestiones ponendae sint, annon, utrum poenitens revera immunis sit a talibus peccatis an non; confessarius, qui non orat fervide, qui Deum non habet semper pree oculis, qui ipse perfecte castus non esset, qui pree omnibus salutem animae non curat, ad talem modum agendi non est idoneus, sed detrimentum animae tum ipse patietur tum poenitens;

e) causa vero talis licet molestissimae investigationis in peccata luxuria in periculis et damnis consistit, quae e peccatis luxuria in totum organismum corporis emanant; nam experientia et anatomia docent, centra nervea, quae actibus generationis praesident, inveniri in regione lumborum medullae spinalis, quae cum cerebro intime coniungitur. Hinc facile intelligitur, abusus organorum genitalium exhaustire sensibilitatem medullae spinalis, mutationes anatomicas ac tabem adducere; ob relationem vero medullae spinalis cum cerebro, hoc etiam paulatim immutatur et suo officio amplius fungi non valet; ex quo multae pessimae consequentiae oriuntur, ex quibus notatur debilitas mentis ac corporis, magna defatigatio, maxima irritabilitas nervorum, hysteria, epilepsia, paralysis ac dementia;

cum vero omnes sensationes, sive ad medullam spinalem sive ad cerebrum perveniant, a spiritu percipientur, patet primas sensationes, quae tempore pubertatis oriuntur, et omnes sequentes mediante cerebro a spiritu percipi, et item ideas turpes per phantasmata, quae excitant, per me-

dullam spinalem *centra sexualia excitare*; quod quidem constituit strictam relationem inter organa genitalia et cerebrum et vice versa;

inde patet, cur *excitato cerebro* per causas sive internas v. gr. per ideas, per phantasiam, per morbos cerebrales, sive externas v. gr. per auditum, visum, tactum odoratum, *medulla quoque spinalis irritatur et genitalia excitantur*; patet etiam, *morbos fere innumeros*, qui ex his vitiis oriuntur, repetendos esse non solummodo ex emissione seminis, quod frustratur, sed *praecipue ex magna perturbatione et immutazione totius nervi sistematis*, quae destructionem corporis paulatim secum fert;

f) putavimus, *utile, immo necessarium esse*, ut confessarii de damnis, quae e masturbatione oriuntur, bene instructi sint; nam secus neque parentes sufficienter instruere, neque poenitentes efficaciter a peccato retrahere poterunt.

D e remedio contra peccata masturbationis.

Quid prodeset vulnus *detegere*, si illud *sanari* non posset? Concedimus sanationem huius peccati, si in consuetudinem venerit, *difficillimam esse*, ast affirmamus, esse tamen *possibilem*. Synodus nostra *viam ostendat, qua sanatio obtineri potest*;

a) confessarius peccatores huius generis *benigne exceptiat*; immo cum occurrerint *suavibus verbis adhortetur*, ut viam rectam ingrediantur; praeterea *longa patientia*, diurno studio ac cura vere paterna se induat oportet, ut hi infelices paulatim meliorem vitam arripiant, nam qui diu in voluptibus carnis se volutavit, absque miraculo cito optimus non fit;

b) edoceat illos *de damnis*, quae ex masturbatione, immo etiam ex colloquiis, desideriis et cogitationibus obscoenis non solum in animum, sed *etiam in corpus emanant*; *interrogando* inducat illos, ut *propria experientia edocti perfectius intelligent*, quomodo ex *auditu sermonis impuri vel ex tactu impudico, ex osculo passionali motus carnales vehementes et pollutiones oriuntur* et quidem propter cohaesionem auditus et tactus cum cerebro, cerebri cum medulla spinali et me-

dullae spinalis cum genitalibus; sciant talibus irritationibus nervos debilitari, cerebrum quoque perturbari, sanitatem imminui, immo morbos gravissimos et pudendos oriri posse; nam cum tales consequentiae corporis et animae infelibus istis ob oculos ponantur, facilius statum suum cognoscere et deplorare poterunt, quam si alia motiva illis proponerentur; cavendum autem est ab omni *exaggeratione*;

c) cognita relatione verborum, tactuum, oscularum in totum corpus cognitoque nocivo influxu, huiusmodi peccatores absque difficultate *cognoscent*, cur *occasiones peccatorum absolute vitare debeant*; occasiones vero sunt *coloquia inhonesta, conventus iuvenum et puellarum*, nam in tali conventu pravae cogitationes, prava desideria, pravae confabulationes excitantur, tactus illiciti et quidem saepe super nudum corpus habentur, inde motus carnales, pollutiones, tentationes et masturbation; idem valet de *congressu iuvenum in cauponis*, de *pervagationibus nocturnis, visitationibus nocturnis puellarum*, quae ad fenestras vocantur; nam inde pravae cogitationes, prava desideria, tactus illiciti, postea temptationes gravissimae oriuntur, quae periculum masturbationis adducunt;

d) eadem via extreum periculum *saltationum* ob oculos ponatur; interrogando poenitens inducatur ad confessio nem tempore saltationis fere semper oriri motus carnales, prava desideria, audiri verba obscoena, immo saepe tactus fieri summe indecentes, tentari amplexus, oscula et fors graviora adhuc peccata, unde domi vehementes temptationes et periculum masturbationis sequitur; cum tum adolescens, tum puella haec omnia e propria experientia vix non semper affirmare debeant, facile persuadentur, saltationes valde esse periculosas, ideo loca saltationum a puellis honestis et iuvenibus morigeratis omnino et semper, etiam occasione nuptiarum, vitanda esse;

e) inde facilis erit conclusio, tales occasiones vitari debere ab illo et ab illa, quae a peccato masturbationis sanari desiderat; his absolutis poenitens de *cognitionibus nec non desideriis* pravis edoceatur; pueri praecipue autem

puellae matrimonium vitamque coniugalem desiderant putantque, talia desideria graviter peccaminosa esse; instruantur, talia desideria, quae ob instinctum sexualem saepissime oriura sunt, peccaminosa non esse; cum enim matrimonium res licita, immo sancta sit, et cum ipsa vita coniugalis inito matrimonio secundum dispositionem. et voluntatem Dei ad propagationem humani generis necessaria sit, neque desiderium ipsius matrimonio inito peccatum esse potest; sed addatur, tales cogitationes inutiles, immo propter motus carnales, quae inde oriuntur, periculosas esse, ideoque in illis morari non licere;

*edoceantur poenitentes, peccaminosas esse cogitationes, peccaminosa quoque desideria de *peccato nunc* in statu soluto *comittendo*, ideoque statim *reprobari* debere atque *conatum adhiberi* mentem ad alia obiecta divertere, illos vero tentationes spernere, atque coram Deo affirmare, se tale peccatum comittere, innocentiam perdere, corpus maculare nullo modo velle;*

*f) his praesuppositis *instructio fiat de tactibus proprii corporis*; poenitentes clare edoceantur, quinam tactus peccaminosi sint, quinam periculosi, quinam omnimode liciti;*

peccatum non est, lavare corpus etiam in pudendis, immo ad minuendas tentationes lotio corporis, partium quoque genitalium, tum in adolescente tum in puellae multum confert, dummodo lotio fiat leniter, absque confricatione, verecunde, neque delectatio venerea intendatur;

lotio talis praecipue pueris tempore menstruationis necessaria esse videtur, nam propter immunditatem organorum istorum provenientem ex illo sanguine non solummodo periculosi pruritus oriuntur, sed etiam variae inflammations et alii morbi; dicendum tempore menstruationis lotionem fieri debere aqua tepida; etiam pueris tredecim, quatuordecim annorum talis instructio caute et verbis valde decentibus deficiente matre a confessario dari potest; experientia docet, puellas quae hoc sciunt, a masturbatione fere semper abstineri; verum est, quod in hac re mater prolem instruere et dirigere deberet: ast nostrae matres hoc omnino ignorant;

peccatum vero est tactus genitalium, in puella etiam pectoris, ex affectu libidinoso propter voluptatem, quam motus carnales, qui ex tactu oriuntur, praebent; nam ex tali tactu illi pessimi effectus oriuntur, de quibus sermo supra iam erat;

tactus vero facti obiter, ex levitate vel ex magna curiositate, ita tamen, ut imotus carnales non intendantur, licet periculosi sint, non sunt graviter peccaminosi; pueri qui hoc sciunt, multo facilius a vera masturbatione abstinent, dummodo iusto tempore, consuetudine masturbationis nondum contracta, desuper edoceantur;

eodem modo poenitentes etiam *de aspectu proprii corporis edoceantur; sciant aspectus in pectus vel in pudenda leves, obiter factos, in casu necessitatis vel utilitatis nullum peccatum, si vero ex curiositate absque motu carnali admittuntur saltem reccatum grave non esse; aspectus vero protractos, factos ex libidine propter motus carnales, peccata gravia esse;*

h) tali clara instructione facta pueris et puellis animus redit atque spes firma enascitur, fore ut pro futuro peccata omnino vitare vitamque magis tranquillam agere possint; laetabundi, contenti atque animo grato a confessionali recessunt, et quidem cum firmo proposito de vita nova et casta;

j) si opus fuit, confessio generalis statim peragatur; confessarius peritus paucis quaestionibus omnia e praeterita vita scitu necessaria comperta habebit, admonitione salutari, qua spes melioris vitae excitatur, confidentia in Deum fovetur, poenitentia et gratitudo insinuatur, poenitentem absolvet et dimittet;

k) persuasi sumus, si parentes, praecipue matres infantes modo desuper indicato educarent, si pericula actuum carnalium noscerent atque pro viribus amoverent, si matres, vel saltem confessarii infantes accurate edocerent, quid de variis tactibus et aspectibus tenendum sit, quomodo et cur lotiones corporis licite peragi possint, in primis si istae lotiones inde ab infantia verecunde fierent, si denique confessarii modo pertractato procederent, futurum esse, ut innocentia

et virginitas magis floreret, ut peccata masturbationis multum rariora evaderent, ut genus magis robustum et sanum succresceret.

3. De instructione sponsorum.

Educatio prolis prae oculis habere debet *tempus inendi matrimonii*. Sicut in reliquis viventibus culmen evolutionis obtinetur in aptitudine ad propagationem sua speciei, ita etiam de homine dicendum est, corpus ad culmen sua evolutionis pervenisse, cum aptum evadat ad generationem.

Propagatio vero generis humani voluntate divina coarctata est intra fines matrimonii. Ad matrimonium vero natura sua homines compelluntur, ast *matrimonium appeti non deberet propter voluptatem venereum, quae in illo licite haberi potest, sed propter desiderium propagandi genus humanum*; ergo matrimonium non quaeratur ob instinctum sexualem, sed ob instinctum conservandi et propagandi suam speciem. Tali modo *usus matrimoni nobilitatur* ita, ut dignitati hominis ratione utens respondeat.

Quem scopum universa educatio prae oculis habeat oportet. Infantes inde a prima aetate amore Dei et proximi imbuendi sunt. Qualibet occasione ad amorem proximi exercendum incitentur, ut ex propria experientia sciant, quam suave sit, relictio amore proprio, amorem in alios profundere. Sciant quoque exercitio amoris erga proximum per bona opera *imaginem Dei* in ipsis perfici; nam Deus quoque amore compulsus nos creavit, ut amorem suum per tot benefacta in nos profundere valeat.

Ex animo ita comparato in iuvene et puella desiderium exurget, creandi suam *propriam familiam*, cui vivere suosque labores et sudores dedicare posset. In sacerdote et in persona religiosa amor, qui in proximum se profundit, homines universim complectitur, in maritis autem in determinatas personas speciali vinculo sanguinis sibi connexas.

Universa educatio talem animi dispositionem efficere contendat. Qua dispositione iuvenis ductus virginem quaerat, quacum amore coniunctus generando prolem novam familiam

conderet, cui amore deditus secundum voluntatem Dei vitam suam consecraret.

Iuvenis virginem aptam invenit, illamque sibi desponsavit. Sponsus et sponsa coram parocho comparent, ut ab illo qua bono pastore ad novum statum, a quo salus utriusque, salus novae familiae, prosperitas status et ecclesiae dependet, praeparentur. Ab ecclesia *examen sponsorum* praescribitur.

Quod examen *triplicem finem* prosequitur. Primo indagandum est in impedimenta, si huic matrimonio aliquod ex illis obstet, deinde in sufficientem scientiam doctrinae christiane inquiratur, sine qua sponsi nec christiane vivere, nec prolem in christiana vita educare possent; tertio sponsi in illis edoceantur, quae ad vitam in matrimonio necessario scire debent.

Quomodo hoc examen in dioecesi nostra peragi soleat, ignoramus, ast e variis adjunctis iudicamus, examen hoc quoad finem primum et secundum rite institui, quoad *tertium finem vero plurimos parochos dubitare, quousque doctrina extendatur, quidque de usu matrimonii dicendum sit.*

Cum desideria de *nova instructione* pro examine sponsorum saepe iam ad nos pervenerint, necessarium esse duocimus, ut *nostra Synodus* talem iinstructionem parochis nostris praebeat.

Putamus vero, hic loci omitti posse instructionem de prima et secunda parte huius examinis, sufficereque, si *Synodus* ea puncta proponit, quae ad tertium finem obtainendum necessaria esse videntur.

Coarctabimus vero hanc institutionem ad duo puncta; explanabimus sc. primo ea, quae scitu *utilia sunt ante matrimonium contrahendum*, deinde vero ea, quae ad *usum matrimonii* pertinent.

De utiliter sciendis in matrimonio cotrahendo.

Dantur aliquae *circumstantiae, quae in matrimonium valde influunt.* Per se patet, *utile esse*, si sponsi iusto tempore de iis edoceantur; sunt vero sequentes:

a) primo sciant *legem haereditatis per generationem* in genere; hoc nomine intelligitur *factum*, quod filii in se ipsis ostendunt characteres speciales, tum physiologicos et pathologicos, tum morales, vel parentum, qui eos genuerunt, vel eorum patruorum vel avunculorum et avorum, et *transmissiones* eorum characterum ad sequentes generationes; quae haereditas si melius innotesceret, certe possibile esset valde minuere mala, quae tot matrimonia affligunt;

b) inspectis vero *notis*, quas filii accipere possunt a parentibus, *haereditas referri* potest ad notas *structurae et anomalies corporis* vel ad characteres *physiologicos*, vel ad *morbos* vel ad horum *praedispositionem*;

quod spectat ad *anomalias corporis*, dicendum est, ipsas posse transmitti ad filios, quales sunt deviatio columnae vertebralis, gibbositas, claudicatio, labrum leprinum, surdmutismus, caecitas etc.;

haereditas physiologica complectitur transmissionem eorum characterum, qui referuntur ad vitam normalem, quae ab his plus minusve immutari potest; huiusmodi potiores sunt *robur corporis, temperamenta, longaevitas, fecunditas, visus et qualitates auditus*; notum est, *robur vel constitutionem physicam* genitorum directe transire ad filios, coniuges enim debilis constitutionis et valde discrepantis aetatis numquam gignunt filios robustos; *temperamenta* ad filios transmittuntur et coniuges eiusdem temperamenti gignunt filios eiusdem temperamenti ast magis intensi; ita duo nervosi vel duo sanguinei generant filios magis nervosos et magis sanguineos; *temperamenta* vero possunt mutari et corrigi, si coniuges opposita habent temperamenta; *longaevitas* saepissime transmittitur; *fecunditas* quoque maxime influit in haereditatem;

c) maioris momenti est haereditas nonnullorum *morborum*, quam valde cavere debent sponsi, ne postea in gravia et saepe irreparabilia damna incurant; plures sunt morbi haereditarii, notabimus principaliores:

Syphilis variis modis, praecipue vero per *copulam recipi* potest;

scrophula alius est morbus haereditarius *valde diffusus in praesenti*, qui potest tamen haberi absque haereditate, cum aliae quoque causae physicae infantes praedisponunt, v. gr. aetas *valde progressa* parentum, magna debilitas vitalis puerorum, deficientia *victus*, domus non salubres, defectus *aëris et lucis* etc.; *scrophula* alios quoque morbos secum ferre potest, ut sunt *ulcera*, *lupus morbi aurium et oculorum*, *inflammationes ossium*, *tuberculosis cerebri et pulmonum* etc.;

phthisis seu tuberculosis item haereditarius est morbus, qui *valde diffusus est in praesenti et plurimi ob eam moriuntur*; *phthisis* est contagiosa et contagium locum habet *praesertim per salivam* emissam a morbo infectis super terram vel pavimenta cubicolorum, quae exsiccata in *aërem* diffundit bacteria, quae personis nocent, in quibus aliqua praedispositio ad *phthysim* invenitur, quae *praedispositio habetur per haereditatem* a parentibus acceptam et debilitatem physiologicam causa malae et insufficientis nutritionis, ex defectu *aëris salubris*, ex *alcoolismo*, ex *diabete* etc.;

cancer morbus gravissimus in *praesenti* frequens, *praesertim* in mulieribus per *haereditatem* transmittitur, vel saltem *praedispositio* ad illum;

eo modo, quo *præfati* morbi possunt transmitti ad sequentes generationes, ita etiam nonnulli *morbi nervorum* transmitti possunt, ex quibus *praesertim* notamus *hysteriam*, *epilepsiam*, *idiotismum et mentis alienationem*;

d) etiam *conatus ad crimina* recentes statisticae probant eodem modo transmitti; *alcoolismus* parentum quam maxime nocet filiis, qui nascuntur cum omnibus effectibus beneficii *alcoholici*, et *praesertim* cum affectionibus etiam *gravibus nervorum* et cum maxima facilitate contrahendi morbos et infectiones; filii *alcoholicorum* facile laborant *microcephalia*, *hydrocephalia*, *imbecillitate mentis*, *idiotismo*, *impulsu ad crimina*, *hysterismo*, *debilitate voluntatis* etc.;

e) *praeter legem haereditatis* attendendum est etiam ad *aetatem* contrahentium; *praeter aetatem*, quae capax est ad generandum, requiritur *corpus physice bene evolutum*; ut ex matrimonio optimi effectus consequantur, evidens est *corpus*

coniugum debere esse plene evolutum, robustum, physice sanum, adeo ut possint fortem et sanam prolem gignere; si genitores nondum assecuti sunt perfectum augmentum corporis, quod post vigesimum aetatis annum contingere solet et nondum fortitudinem praesertim nerveam adepti sunt, quomodo ex eorum corporibus debilibus poterit fortitudo ac optima valetudo ad filios pervenire?

item nemo de matrimonio ineundo consilium dabit, quum *aetas sponsorum nimis differens sit*, quia proles si concipiatur, multa incomoda pateretur et saepissime adulteria haec matrimonia comitentur;

f) ultimo dissuaderi debet matrimonium inter *consanguineos*; nam talia matrimonia multa adducunt incomoda, nisi nupturientes perfecta physica valetudine gaudeant; pericula vero pro prole eo graviora sunt, quo propior est gradus consanguinitatis; ad tertium gradum et ultra pericula minuuntur; damna vero experientia docente sunt: conceptiones imperfectae, partus praematuri, praedispositiones ad morbos systematis nervei et praelestum ad surdomutismum, hysteriam et epilepsiam, parva evolutio facultatum mentis, magna mortalitas infantium, scrophula, tuberculosis; insuper, si in parentibus nonnulla aderant germina morborum, facilime ad filios haereditate transmittuntur, aut matrimonia sterilia evadunt, aut filii aegroti plerumque nascuntur.

De usu matrimonii.

Postquam ea enarravimus, quae in contrahendo matrimonio utiliter sciuntur, tractandum est de usu *matrimonii*, de quo sponsos accurate instructos esse oportet.

Certum est, sponsos institutionem de usu matrimonii desiderare, quae institutio autem propter magnam verecundiam difficillime porrigitur, magnasque cautelas expostulat, ne detractionibus et scandalis ansa praebeatur. Quam ob causam in huiusmodi instructionibus sponsi ad confessionem relegantur, ubi de dubiis confessarium interrogant. Ast experientia docente fit, ut dubia huiuscmodi occasione confessionis vix umquam proferantur et quidem propter nimiam verecun-

diam ex parte mulieris et propter nimiam levitatem ex parte viri, quorum uterque praefert vitam matrimonialem in incertum ducere.

Tali experientia edocti putamus, *instructionem de usu matrimonii faciendam esse ante matrimonium initum et quidem vel ore tenus sponso soli, sponsae vero teste matre vel femina proiectoris aetatis, vel scripto, quod sponsis ad legendum in manus datur.*

Necessarium autem est, ut ad evitanda peccata et alia pericula pro se et pro prole concipienda sponsi *sequentia doctrinae christianaे capita bene noscant;*

a) usus matrimonii ex *triplici fine* licitus est: ad generandam prolem, ad fovendum mutuum amorem, ad vitanda peccata concupiscentiae; *primus finis est primarius, nec umquam excludi debet*, quapropter usus matrimonii semper absque ulla exceptione ita peragatur, ut proles concipi possit; aliis usus matrimonii contra naturam, ideo graviter peccaminosus esset;

b) in usu matrimonii coniuges *verecundiae* meminerint; verum quidem est, in hoc usu praeter coniunctionem corporum ad conceptionem necessariam *varios tactus et aspectus non esse peccatum*, exceptis tactibus et aspectibus valde dishonestis, qui tamen ob indecentiam peccatum quidem leve, non vero grave constituerent; ast vir omni cura studeat, ne *mulier umquam sensus pudoris et verecundiae* amittat; quapropter prae oculis semper habeat conscientiam, se esse hominem et quidem hominem christianum, non vero brutum, atque animum pudicum et mentem alienam a turpibus in muliere decorem esse ac columnam firmissimam prosperitatis ac salutis in familia;

c) *status physicus et moralis* tempore debiti praestandi non sunt res negligendae, cum talis *status hoc tempore multum influat in qualitatibus physicis et moralibus prolis*; nam infantes concepti v. gr. in ebrietate, praesertim ex parte patris, sunt saepe satis proclives ad alienationes mentis, ad scrophulam, ad debilitatem ingenii etc.; status autem animi *debet esse tranquillus, non gravibus cogitationibus aut sensibus odii, iracundiae, tristitiae exagitatus;*

in usu matrimonii non debet p^ra oculis haberi tantum satisfactio carnalis, sed *cogitatio*, quod in illo actu completur per parentes maximum officium, quod natura illis credidit, scilicet subministrare elementa ad novam creaturam conficiendam, quae ad aeternam coeli gloriam destinatur; si a coniugibus haec p^ra oculis habentur, omnes meliores effectus e copula obtinebuntur;

d) cum ergo usus matrimonii iuxta intentum naturae maximi momenti sit, certe ex parte coniugum debitam p^reparationem postulat, ut scilicet quoad corpus et quoad animam tales sint, quales esse debent, ut proles physice et moraliter sana concipiatur, ne postea ipsos poeniteat concepisse, cum videant infantes a se natos pluribus morbis vel anomaliis corporis et mentis affectos; cavendum est, ne copula nimio ardore et quodam instinctu brutali peragatur, nam praeter alia mala etiam nimia defatigatio corporis, ob nimiam vim nerveam deperditam, inde consequeretur; id p^rincipue in prima matrimoniali coniunctione attendendum est, ne brutorum instar summa cum passione et in statu corporis male disposito convenient; formatio novi hominis ratione dirigatur oportet, neque casui relinquatur, sed coniuges semper curam habeant de dispositionibus necessariis, ut soboles gignatur fortis et sana;

e) quamvis usus matrimonii obtineri possit quavis hora, tamen horae matutinae videntur esse physiologice consulendae, cum corpus melius se habet ob reparationem virium in somno peractam, insuper animus quoque favorabiliores conditiones p^raebet;

f) usus matrimonii quotidianus non est peccatum nisi leve propter immoderantiam et propter mala corporis, quae ex tam frequenti irritatione nervorum et excitatione cordis oriri possunt; usum vero semel vel bis in hebdomadae adhibitum sequelae funestae non consequuntur; si coniuges, p^rincipue uxor debilioris constitutionis sunt, vel si iam senuerunt et ad aetatem quinquaginta vel sexaginta annorum iam pervenerunt, usus fiat rarer, immo rarissimus;

g) usus matrimonii non fiat qualibet vel levissima causa, sed tantum quando natura vel sufficiens ratio utilitatis illum exigit; *vir uxori parcat*, neque illam, si quoad corpus, vel quoad animum bene disposita non est, ad usum cogat; *uxor vero libenter viro subdita esto*, ne vir repulsam passus amorrem minuat vel omnino amittat, ad variaque peccata prolabatur; mulier, quae virum absque gravi causa repellit, graviter peccat;

h) tempore menstrui usus matrimonii licitus quidem est; propter aliquam physicam indecentiam vero et propter periculum sanitatis, quod uxori propter nervos nimis irritatos et excitatos imminet, abstinentia suadenda est;

i) tempore praegnationis usus matrimonii simpliciter licitus dicendus est; propter periculum abortus vero advertendi sunt coniuges, ne copulam renovent plures eodem tempore et non nimis vehementer et cum impetu eam perficiant;

k) tempore puerperii usus matrimonii licitus evadit post octo vel sex hebdomades, postquam mater perfectam sanitatem assecuta est; usus ante hoc tempus nocivus esset, potissimum primis diebus, quibus omnino prohibetur;

l) tempore lactationis usus licitus est, licet conceptio hoc tempore difficilior sit;

m) tempore morbi coniux non tenetur reddere debitum, si inde grave damnum vel periculum sibi vel proli merito timeat; unde non tenetur sequentibus in casibus: si illud petat maritus morbo contagioso laborans v. g. syphilide, peste, lepra; neque tenetur cum gravi periculo propriae vitae aut sanitatis; nec tenetur cum gravi periculo suae salutis;

quoad usum matrimonii *in phthysi*, notandum est, grave periculum infectionis adesse per oscula, et aliquando etiam per copulam; cum vero phthysici magna concupiscentia saepe agitantur et ex modico copulae usu grave damnum illis non proveniat, videtur hanc eis posse permitti; magna tamen parsimonia illis hac in re omnino commendanda est;

n) non tenetur reddere, si petens sit amens, quia talis non est capax usus dominii, nec petit cum ratione et humano modo. Idem valet de *ebrio*, nam infantes concepti in ebrietate

facillime nascuntur proclives ad varios morbos; simpliciter petere et reddere licet tam ebrio quam amenti, nisi esset periculum foetus enecandi;

o) extra usum matrimonii liciti sunt amplexus, oscula, tactus etiam minus honesti, dummodo non intendatur pollutio, vel si per casum evenerit, absit periculum consensus, vel per copulam praepediatur et dummodo nemini scandalum praebatur; ast a tactibus minus honestis vir omnino abstineat, nam actus, verba aut quidquid turpe non necessarium paullatim cor mulieris corrumpunt, amorem mutuum minuunt, statum matrimonialem aggravant, unde frequenter oritur ardor libidinis, negligentia in rebus domesticis, discordia, absentia mutui amoris, proditiones et adulteria; hoc praesertim a viro perpendendum est, cum ex eo fere semper omnia mala indicata procedant;

p) tempore praegnacionis mater labores consuetos et vitam priorem continuare debet; excipiuntur labores difficiles, maiores inclinationes, elevationes magni oneris, vel elevationes manuum in altum; prohibentur saltationes, itinera in vehiculis per vias asperas vel in via ferrea; abstineat quoque a vehementioribus affectibus irae, impatientiae, tristitiae; utatur cibis, qui facile digeruntur, qui non nimis conditi sunt; a potu alcoolico omnino abstineat; vitam agat piam coram Deo, orationi frequentius et ferventius incumbat, ad Sacraenta saepius accedat, totumque suum statum, prolem eiusque nativitatem Deo quotidie commendet; deinde vero quiete, freta auxilio divino tempus partus expectet; medici dicunt *lotiones pectoris et ventris aqua tepida quolibet vespere repetita multum conferre ad faciliorem partum et ad faciliorem lactationem*;

q) expositis praecipuis doctrinae christianaee capitibus circa usum matrimonii, sponsis obligationes explicitur oportet, quae illis ut maritis incumbent et quidem primo obligationes communes, ut sunt: amor coniugalis, castitas et fidelitas coniugalis, custodia pacis, convictus et mutuum auxilium, secundo obligationes speciales viri, quatenus caput est mulieris, domus et familiae et mulieris, quae obedientiam viro praestare domum curare, pietatem fovere, affabilitatem ostendere et munditiem

servare debet, *postea obligationes erga prolem tum quoad educationem corporis quam animae, demum obligationes erga parentes, erga famulos, erga superiores ecclesiasticos et civiles*; cum vero tales instructiones de officiis status finem huius Synodi praetergrediuntur, hisce hanc partem concludere possumus.

Titulus II.

De bonis ecclesiasticis nec non de cancellaria parochiali.

Praeter curam ecclesiae atque cultus divini, quae parochio incumbit, cura quoque *bonorum ecclesiasticorum nec non rerum cancellariae et archivii* parochio iniungitur. Cum etiam eiusmodi cura magni sit momenti ligetque conscientiam, Synodus officia quoque parochi relate ad *bona ecclesiae, ad negotia cancellariae et ad archivium parochiale* describat inculcetque.

Cap. I.

De bonis ecclesiasticis eorumque administratione.

Praemissa brevi enarratione *iurium ecclesiae* in bonis temporalibus Synodus stabiliet ea, quae administrator religiosus tum in *ingressu beneficii, tum in decursu administrationis, tum in ratione reddenda* observare tenet.

§ 1.

De iuribus ecclesiae circa bona temporalia.

Propter varios errores, qui in hac materia circumferuntur, quique in legislationem quoque civilem pessime influunt, haud erit absque re, iura ecclesiae circa bona temporalia accurate determinare.¹⁾ Agitur vero *de acquisitione, de administratione et alienatione bonorum ecclesiasticorum.*

¹⁾ Cfr. Wernz, S. J. *Ius decretalium* t. III., pg. 153—343.

1. De acquisitione bonorum.

Ecclesia ius habet *nativum et legitimum* acquirendi et possidendi bona temporalia.¹⁾

Etenim societas, quae ab ipso Deo ut perfecta planeque independes cum praeclarissimo fine et distinctis officiis est condita, habet etiam ius nativum et legitimum ad media necessaria, quibus finem illum attingat et promoveat atque gravissimis suis officiis satisfaciat. Iam vero Ecclesia catholica est huiusmodi societas perfecta et sine bonis temporalibus finem suum prosequi et officiis a Deo sibi impositis satisfacere nequit: ergo etiam habet ius nativum et legitimum a Deo concessum acquirendi et possidendi bona temporalia. Inde patet.

a) Ius Ecclesiae acquirendi bona temporalia *nulli auctoritati civili* ordinandum et limitandum vere subiicitur, sed solummodo legibus divinis atque iudicio et legibus Ecclesiae pro ipsis fine et necessitatibus latis regitur.

Quare quamvis Ecclesia in acquirendis et possidendis bonis temporalibus de facto sequatur leges civiles de simili materia in foro civili vigentes, aut forte illarum observantiam etiam in suo foro praescribat, tamen stricto iure ad observandas istas leges civiles vi legum civilium non obligatur.

b) Leges *civiles amortisationis* vero, quibus Ecclesia in acquirendis bonis ecclesiasticis impeditur, nisi accedat consensus potestatis civilis, in se sunt odiosae et iniustae et ex defectu iurisdictionis plane nullae et irritae, nisi a Romano Pontifice gubernio civili speciale indultum ad exigendum illum consensum datum sit.

c) Bona in ecclesiae dominium translata etsi per se retinent eandem naturam physicam, tamen naturam iuridicam omnino mutant, iisque *inviolabilitas* plane singularis accedit. Nam omnia bona Ecclesiae utpote in dominio personae sacrae constituta et ad scopos sanctos et religiosos destinata, sunt vero quodam sensu *sacra*. Quare bona ecclesiastica praeter inviolabilitatem omnibus bonis saecularibus legitime propriam,

¹⁾ Cfr. Syllab. Pii IX., prop. 26.

illa speciali gaudent praerogativa, quod ipsorum usurpatio verum sit sacrilegium.

d) Dominium vero bonorum ecclesiasticorum altum vel mediatum residet in Ecclesia universalis, dominium autem immediatum vel proximum inhaeret singulis institutis ecclesiasticis iurisdictioni Romani Pontificis subordinatis ut sunt dioeceses, ecclesiae parochiales et filiales, beneficia, ordines religiosi, confraternitates, loca pia. Inde patet, bona ecclesiastica delecto immediato subiecto dominii non transire in potestatem fisci, sed in potestatem Ecclesiae universalis vel Sedis apostolicae vel alii subiecti immediate competentis, nisi fundator in limine fundationis aliud quoddam subiectum expresse substituerit.

e) Leges civiles¹⁾ imperii austriaci permittunt quidem ecclesiae acquirere bona temporalia, at modis et formis legibus civilibus definitis.²⁾ — Subiectum dominii non agnoscitur Ecclesia catholica qua talis, agnoscentur vero singulae ecclesiae et singula instituta. — Bonis legitime acquisitis conceditur tutamen status, prouti fundationibus ad commune bonum pertinentibus concedi solet. — Sed status civilis ius sibi reservavit condendi leges, quibus ecclesia in acquirendis bonis temporalibus restringatur.

Leges civiles hac in re nunc vigentes a praesulibus austriacis observantur et quidem vi facultatum, quae in concordato austriaco vel speciali modo a Sede apostolica concessae sunt. Nam licet concordatum ex parte status abrogatum sit, nihilominus ex voluntate summi Pontificis leges civiles de rebus ecclesiasticis in tantum observantur, in quantum intra limites vi concordati stabilitas continentur.

2. De administratione bonorum ecclesiasticorum.

Administratio bonorum ecclesiasticorum denotat omnes illos actus, qui ad conservationem et meliorationem substantiae bonorum iam acquisitorum, aut ad legitimam perceptionem, conservationem, meliorationem et praesertim applicationem fructuum et redditum ecclesiasticorum referuntur.

¹⁾ Gesetze vom 7. Mai 1874.

²⁾ Codex civilis pars II., pg. 17—24, p. III., c. 4.

A.

Qua in re *ius nativum et legitimum administrandi bona ecclesiastica* et ab omni iurisdictione civili plane liberum et independens est penes solam Ecclesiam, quod ex perfecto dominio eiusdem aperte sequitur. Hinc potestas civilis titulum iuris nullum habet, ex quo partem quamdam in administratione bonorum ecclesiasticorum praetendere possit, nisi expressa vel tacita concessio Ecclesiae accedat.

B.

Personae iuridicae, quibus dominium bonorum ecclesiasticorum competit, cum per se agere non possint, sese habent ad instar pupillorum; quapropter *administratio bonorum personis physicis committitur*, quae personae curatoribus vel tutoribus aequiparantur atque administrationem sibi legitime concessam magna cum diligentia et absque culpa exercere debent. Administratores vero sunt:

1. Summus administrator omnium bonorum ecclesiasticorum est *Romanus Pontifex* vi primatus iurisdictionis. Ast in administrationem particularium institutorum Romani Pontifices sese immiscere non solent, sed legibus generalibus administrationem ordinant, constanti vigilancia promovent et solummodo causas graviores suo iudicio reservant.

2. *Episcopi* sunt supremi administratores bonorum ecclesiasticorum, quae in dioecesi reperiuntur, neque iure speciali episcoporum iurisdictioni sunt subducta. At cum in dioecesi plura existant subiecta dominii distincta, episcopus non est unicus administrator, sed alii quoque administratores inferiores iure Ecclesiae communi vel particulari constituti sunt.

3. Qui *administratores inferiores* ab episcopo sunt deputati, dummodo iure canonico exceptio non sit statuta; quapropter iurisdictioni episcopi subsunt, a quo suspendi vel amoveri possunt.

Administratio bonorum ecclesiasticorum fiat nomine Ecclesiae dependenter ab inspectione et revisione superiorum ecclesiasticorum iuxta normas praescriptas in iure communi vel particulari ecclesiae vel in instrumento fundationis.

C.

Praescribitur vero, ut administratores rite suscepto officio omnium rerum, reddituum, bonorum sive mobilium sive immobilium, quae in dominio instituti ecclesiastici sibi commissi reperiuntur 1. accuratum confiant *inventarium*,¹⁾ cuius unum exemplar tradendum est Ordinariatui, alterum propria manu subscriptum inter libros ecclesiasticos est retinendum;

2. ut omnia *documenta et instrumenta*, quibus iura ecclesiae in bona ecclesiastica nituntur, caute conservare, rite ordinare et in archivio deponi satagant, postquam semet persuaserint, omnia documenta ad praescripta iuris civilis accurate esse exarata;

3. ut *libros dati et expensi*, quot necessarii sunt, bene ordinatos teneant et ut

4. *rationem administrationis* suae legitimo tempore et ordine servato reddant,²⁾ neque futurarum expensarum et annuorum reddituum elendum prudenter praeparare omittant.

D.

Quae *forma* administrationis non est negligenda, ast maiore diligentia *res ipsa* est curanda. Quare 1. probus administrator imprimis *substantiam* bonorum conservare, meliorem efficere et augere debet.³⁾ Hinc damna a bonis avertere, domus, quae reparatione indigent, restaurare, praedia male culta melius excolere, bona dilapidata vindicare et contra novas violationes defendere tenetur; lites tamen non intendat, nisi competentis superioris ecclesiastici expressam licentiam obtinuerit.

2. Quodsi bona ecclesiastica constant *pecunia*, ex cuius foenore expensae ecclesiasticae sunt solvendae, maxime curandum est, ut *substantia* conservetur ideoque tuto et cum necessariis cautionibus et utiliter investiatur. Ex variis declarationibus S. Congregationis Ep. et Reg. patet, pecuniam ecclesiasticam

¹⁾ Cfr. cap. 2, § 1 de relig. dom. III. 11 in Clem.; Conc. Trid. sess. XXII. c. 8. 9. de reform. sess. VII. c. 5 de ref.

²⁾ Conc. Trid., l. c.

³⁾ Cfr. c. 2. X. de donat. III. 24.

per se et ordinarie investiendam esse *in bonis stabilibus*,
tutis et frugiferis; vestimentum vero in *censibus* vel in *tabulis debiti publici* nonnisi secundo et tertio loco in sub-
sidium admitti. Ast superior lex omnibus attentis circum-
stantiis est ipsa *conservatio bonorum* et legitima sufficientium
redituum *perceptio*.

3. Porro *reditus ecclesiastici* a provido administratore
accurate et iusto tempore sunt exigendi, ne ex dilatione
damnum oriatur, praescriptio locum habeat, aut saltem actio
et executio iudicialis impediatur.

4. *Reditus percepti rite conserventur et ex mente fun-
datorum vel ex praescriptionibus iuris communis vel parti-
cularis applicentur.*¹⁾ Hinc non solum ab *arbitrariis expensis*
est abstinentum, sed etiam *extraordinariae* ne fiant, nisi
omnibus formalitatibus servatis, quae a iure statutae sunt.

5. Quod si administratores sua culpa ecclesiae *damnum*
intulerunt, illud ex bonis propriis resarcire tenentur.²⁾ Porro
ecclesia habet *beneficium restitutionis in integrum*, si ex ne-
gotiis administratorum *damnum passa est*.³⁾ Item si admini-
stratores negotia ineant ex titulo oneroso absque licentia
competentis superioris, ecclesia de tali negotio non tenetur
respondere, nisi forte illud in ipsius utilitatem redundavit.⁴⁾

E.

Administrationi bonorum ecclesiasticorum in nostro Im-
perio *potestas quoque civilis* sese immiscet,⁵⁾ multasque de-
super tulit ordinationes, quae ad bonam administrationem
bonorum ecclesiasticorum multum conferunt. Quam ingeren-
tiā, licet hinc inde terminos saltem aequitatis transilire vi-
deatur, ecclesia non respuit, eo quod in Concordato Pii IX.
potestati civili ingerentia in administrationem bonorum eccl-
esiasticorum concessa fuit.

¹⁾ Cfr. cit. cap. in Clem.

²⁾ Conc. Trid., l. c.

³⁾ Cap. 1. 3. 6. X., de restit. etc.

⁴⁾ Cfr. c. 4 X. de fide III. 22.

⁵⁾ Lex de 7. Mai 1874, §§ 38—58.

3. De alienatione bonorum ecclesiasticorum.

Alienatio bonorum sumitur sensu lato, quatenus denotat actum, quo in aliud transfertur rei dominium (venditio), aut rei usus (locatio) aut aliud ius in re (hypotheca). Hinc actus alienationis sunt donatio, venditio, permutatio, cessio iuris vel litis vel actionis iam quaesitae; nam his actibus vere transfertur ius in re.

Porro alienationi adnumerantur alii actus, qui alienationem praeparare vel inchoare censentur velut pignus vel hypotheca specialis, aut transferunt dominium saltem utile e. g. locatio diurna i. e. ultra triennium frugiferum, aut generatim ad longum tempus bona ecclesiastica gravibus oneribus subiiciunt v. gr. per concessionem servitutis.¹⁾

At repudiatio lucri etiam sine causa ab administratore facta, quamvis *illicita* sit, tamen vera et propria alienatio dici nequit; item alienatio non est *pecuniam mutuo accipere*, si hypotheca speciali bona ecclesiastica non graventur, neque pecuniam fundorum ecclesiasticorum *mutuo dare* in forma alias legitima et secura.

De alienatione a iure statuitur:

1. De *iure Ecclesiae* alienandi bona sua dubitari nequit. Id enim ex pleno et perfecto dominio Ecclesiae in sua bona evidenter deducitur et haud raro ad finem Ecclesiae promovendum alienatio potest esse necessaria vel saltem summopere utilis. Quod ius alienandi a potestate civili est omnino independens.²⁾

2. At ecclesia, quae est persona moralis et per se agere non valet, sed ad instar pupilli per praelatos ecclesiasticos et administratores de bonis disponit. Nemo ex illis, ne ipso Romano Pontifice excepto, habet ius bona ecclesiastica absque *proportionata causa* valide alienandi.

3. Propter proclivitatem hominum dilapidandi bona ecclesiastica inde a primis saeculis contra praeposteras alienationes ab Ecclesia severae *prohibitiones* promulgabantur.

¹⁾ Cfr. c. II. X, de reb. eccl. III. 9. in Sexto.

²⁾ Syllab. Pii IX., prop. 19.

4. Res ecclesiasticae *liberae alienationi subductae* sunt res immobiles, v. gr. praedia, res mobiles pretiosae, quae servari possunt v. g. calices pretiosi, usus fructus longi temporis, census sive redditus et pensiones ex re immobili, v. gr. ex praedio provenientes, actiones rerum mobilium et immobilium pretiosarum, bibliotheca bene instructa. Quibus rebus iam ab antiquis canonistis enumeratis nostra aetate addendi sunt tituli, qui fundationem vel dotationem beneficii vel instituti ecclesiastici constituant.

5. Ab alienatione *non excluduntur* res mobiles ecclesiae non pretiosae, aut quae servari non possunt e. gr. fructus; res etiam immobiles exigui valoris et Ecclesiae inutiles atque interveniente necessitate vel utilitate Ecclesiae; immo bona quaecumque in casu maxima et urgentis necessitatis, in qua sine gravi damno consensus superiorum requiri nequit.

6. Res ecclesiasticae sive mobiles sive immobiles, quarum alienatio per se est prohibita tamen *iusta causa* interveniente et solemnitatibus servatis alienari possunt.

Causae iustae sunt quatuor: urgens ecclesiae necessitas, evidens eiusdem utilitas, pietas, ipsius rei alienandae inutilitas vel incommoditas. Quibus de causis rite constare debet. Alienatio absque iusta causa facta in se nulla et irrita est; quodsi solemnitates iuris fuerint servatae et dubium sit de causa, in praxi praesumitur, causam fuisse legitimam; si vero constat, causam legitimam tantum fuisse existimatam, praferenda est sententia, qua tenet alienationem esse irritam.

Praeter iustum causam requiruntur *solemnitates* a iure statutae. Ex disciplina nunc vigente licentia Sedis apostolicae requiritur, ut pretiosae res mobiles vel immobiles alienentur. Excipiuntur casus, in quibus ex iuris dispositione consensus solius episcopi sufficiens est, quales sunt e. gr. locatio, conductio non ultra triennium.

7. Alienatio *legitime facta* vere transfert ius dominii vel aliud ius, de quo in negotio alienationis actum est.

Quodsi alienatio rei pretiosae sit *illegitima*, nulla et irrita est in foro quoque interno; idem valet de illegitima alienatione rei modicae. Consequenter praelatus ius et officium

habet revocandi alienationem a se illegitime factam. Immo clerici addicti ecclesiae, quae damnum passa est, assurgere tenentur contra malam alienationem. Qui vero ex illegitima alienatione bona ecclesiastica accepit, is omnino tenetur illa *restituere*.

Quodsi alienatio formaliter est valida et nihilominus ecclesia *graviter laesa est*, quod causa utilitatis tantum fuerit apparens, competit ecclesiae beneficium *restitutionis in integrum* i. e. ecclesia recuperat bona alienata et alteri parti restituit, quod ex alienatione receperat.

8. Alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica solemnitatibus non servatis ipso facto incurunt *excommunicationem* nemini reservataam.

9. In imperio austriaco in Concordato¹⁾ stabilitum est, bona ecclesiastica alienari non posse, nisi etiam Imperator aut ii, quibus hoc munus demandatum fuerit, consensum tribuerint.

§ 2.

De administratione bonorum ecclesiasticorum.²⁾

Recensisitis legibus et obligationibus generalibus bonorum ecclesiasticorum acquisitionem, administrationem nec non alienationem moderantibus descendere nos ad particularia oportet, ut administrator sciat quid sibi agendum sit *in initio administrationis, in eiusdem decursu atque in ratione reddenda*. Nam hac scientia destitutus obligationibus suis gravissimis haud poterit facere satis.

1. De initio administrationis.

Cum beneficium parochiale morte vel translatione beneficiati vasuum evaserit, *administrator* constituitur, cui administratio omnium bonorum ecclesiasticorum usque ad installationem novi *beneficiati* incumbit.

¹⁾ Art. XXX.

²⁾ Anleitung zur kirchlichen Vermögensverwaltung — Poč, Dužovni poslovnik, 2. izdanje, str. 222—348.

a) Quid agat administrator?

*Decanus ab ordinariatu certior redditur de deputatione administratoris simulque obligatur, ut illum pro suo munere in administrationem bonorum inducat atque *protocollum* super hoc in *tribus exemplaribus* conficiat, quorum unum manet in *archivio parochiae*, alterum ad *ordinariatum*, tertium ad *officium decanale* transmittitur.*

P r a e p a r a t i o .

Ut vero commissio administrationis bonorum facilius et accuratius absolvatur, administrator omnia, quae ad id conducunt, *iusto tempore praeparet* et quidem: cognoscere studeat ambitum et statum bonorum *ecclesiae parochialis et ecclesiarum filiarum*, nec non bonorum *beneficialium* et eorum, quae fors ad *praedecessorem* pertinent.

1. Statum atque ambitum bonorum *ecclesiarum* cognoscet:

a) *ex inventario ecclesiastico*, in quo omnia bona descripta inveniuntur;

b) *ex protocollo* confecto tempore, quo praecessori administratio bonorum commissa fuit;

c) *e ratione ultima* ab ordinariatu probata, cui adiacet consignatio omnium bonorum;

d) *e diurnali ecclesiastico*, in quo proventus et exitus accurate describuntur, quodque cum pecunia numerata *arcae nummariae* (»cassae«) concordare debet;

e) requirat *elencum*, in quo obligationes publicae, libelli cassae parsimonialis et debitores recensentur, conferat cum inventario et ultima ratione, inquiratque in archivio, utrum omnes obligationes, omnes syngraphae nec non omnes libelli cassae parsimonialis praesto sint necne;

f) quaerat insuper, num omnes obligationes et libelli cassae parsimonialis *vinculo* necessario provisi sint, num praecessor omnes *fructus* perceperit et legitime applicuerit, num omnes fundationes confirmatae earumque proventus rite distributi sint;

g) inquirat in *aedificia ecclesiastica*: in ecclesiam parochiale, ecclesias filiales, aedes pro aedituo vel organista,

ut de statu earum, imprimis tecti, murorum, portarum, fenestrarum iudicium sibi formare possit;

h) ultimo agros, prata, silvas non praetergrediatur, nam et de horum statu cognitionem certam acquirat sibi oportet; fines quoque horum accurate cognoscat curetque, ut signo visibili notentur, nisi id iam factum sit.

2. Eodem fere modo cognoscere studeat *bona beneficia*, quorum proventibus sustentetur beneficiatus.

Ad obtainendum hunc finem ipsi servire debet;

a) inventarium bonorum beneficialium;

b) protocollum de commissione bonorum facta praecessori;

c) fassio praecessoris exarata eum in finem, ut cognoscatur, utrum proventus beneficii congruam pro clero stabilitam assequantur necne atque fassio exarata eum in finem, ut census proventuum personalis stabiliri potuerit;

d) diurnale oeconomicum, in quo proventus et exitus oeconomiae accurate designati inveniuntur;

e) revisioni demum subiiciat, aedificia beneficialia, agros, prata, silvas, ut cognoscat statum eorum, in quo a praecessore reicta fuerunt, nec non limites, utrum determinati et signis provisi sint.

Valde commendatur, ut imprimis ad perquirendum statum omnium aedificiorum, silvarum, agrorum, pratorum sibi adiungat *vitricos* ecclesiarum vel etiam alios viros in re *peritos*, ut deinde iudicium latum de statu aedificiorum et possessiōnum certe iustum sit atque aequum.

3. Dijudicet postremo, num *praedecessor* omnes fructus iam perceperit, necne, *praeprimis*, num ad reficiendos defectus, qui forsitan in bonis mobilibus vel immobilibus tum ecclesiae tum beneficii detecti fuerint, *praecessor* obligari debeat.

Si beneficium vacavit *morte praecessoris* et separatione facta bonorum ipsius a bonis ecclesiae et beneficii defectus vari inventi fuerint, regressus patet ad haereditatem, cui summa ad defectus reparandos necessaria detrahi debet.

Commissio.

Qua praeparatione facta a decano, qua commissario episcopali *dies statuatur*, quo omnia bona ecclesiastica curae administratoris committantur. Tunc 1. dies significetur:

- a) *vitricis* ecclesiae parochialis et ecclesiarum filialium;
- b) *patrono privato*, si per se vel per alium substitutum praesens esse desiderat;
- c) *potestati civili*, si parochia patronatus est caesarei vel fundi religionis.

2. Die assignata omnia bona administratori *praesentibus vitricis et patrono, si forsitan comparuit, committuntur*. Desuper protocollum conficiatur et quidem triplex, in quo omnia bona forma praescripta separatim enumerentur, status aedificiorum et possessionum describatur, simulque addatur, num ob defectus inventos in bonis mobilibus vel immobilibus predecessori obligationes plus minusve graves incumbant.

Per se patet in protocollo libros quoque ecclesiasticos esse enumerandos, praecipue matriculas, quae administratori traditae fuerunt.

b) Quid agat beneficiatus?

Tempore canonico vel forsitan adhuc longiore elapso beneficium sacerdoti prae ceteris digno atque idoneo confertur.

Novus *beneficiatus* ab Ordinario vel eiusdem Vicario generali per installationem in possessionem beneficii inducitur eique tum cura fidelium spiritualis, tum cura bonorum omnium mobilium et immobilium committitur. Die stabilita solemni ingressu in parochiam curam utramque de facto in se suscipit.

Quoad *administrationem bonorum* attendat ad sequentia:

1. *cognoscere* studeat vel saltem in memoriam sibi revocare, quid de acquisitione, administratione et alienatione bonorum ecclesiasticorum statutum sit per *leges ecclesiae generales*¹⁾, per *leges dioecesanas* nec non per *leges civiles*, quae apud nos ab ecclesia receptae sunt²⁾;

¹⁾ Cfr. supra tit. II. c. I., § 1.

²⁾ Lege hanc § 2.

2. eodem modo, quo administrator, ipse quoque in *ambitum et statum bonorum* tum ecclesiae parodialis et filialium tum beneficialium inquirat. *Inmixus protocollo* in manibus administratoris ceterisque instrumentis et libris, duce administratore, vitricis et peritis lustret omnia bona mobilia, recenseat varia iuria ecclesiarum et beneficii, inspiciat aedificia, agros, prata, silvas.

Beneficiatus *ne acquiescat* prioribus protocollis neque meris assertionibus praecessoris, vel administratoris et vitricorum, sed *ipse in propria persona* in omnes partes bonorum inquirat; nam ipse rationem dare debebit coram Deo et superioribus, num officio suo in administratione bonorum, quae inviolabilia sunt et sacra, satisficerit necne;

3. ultimo *praeparet protocollo* in quo omnia bona, prouti sunt, describuntur, ut negotium formalis commissionis bonorum in manus suas facilius et accuratius expediatur;

4. *praeparatione finita die stabilito* beneficiato bona omnia temporalia per *decanum praesentibus vitricis omnium ecclesiarum*, quae in ambitu parochiae sunt, *praesente quoque vel saltem invitato patrono publico et patrono privato*, si forte *praesens esse vult*, necnon *administrator* administranda committuntur.

Protocollo accurate conficiatur; nam *visitatores* legitimi, imprimis *episcopus*, ope huius protocolli iudicium iustum et aequum de administratione bonorum formare sibi atque proferre poterunt.

2. De administratione ipsa.

Administratio bonorum magnas nec non perpetuas generat curas atque continuos imponit labores tum *administratori* constituto ad tempus beneficii vacantis, tum et quidem *praeprimis beneficiato* legitime installato.

a) De cura administratoris.

Concedimus, munus administratoris valde *molestum esse et periculis plenum*. Caveat ne ecclesiae *damnum inferat*, neque in baratrum debitorum personalium semet *praecipitet*.

Quapropter omnem suum agendi modum rite disponat atten-
datque praecipue ad sequentia:

1. Omnia bona tum mobilia, tum immobilia conservet
*in statu quo; reparations non suscipiat nisi revera neces-
sariae sunt; idem valet de permutatione quacumque sive in
elocandis pecuniis sive in colendis possessionibus; necessarias
vero reparations vel alias transactiones absque approbatione
ordinariatus, resp. potestatis civilis ne incipiat; si agitur de
bonis ecclesiae, consilium quoque cum vitricis ineat;*

2. quoad bona ecclesiarum parochialis et filialium curet,
ut *fructus omnes percipiat, praecipue illos, qui fors e locatione
agrorum vel a pecunia investita apud privatos proveniunt;
onera quoque omnia solvat, expensasque currentes faciat;*

3. omnia data et percepta ecclesiarum in *libro diurnali*
fideliter describat, nec non in *libris*, in quibus *debitores* tum
privati tum publici consignati sunt, accurate significet memor
rationis reddenda ordinariatu resp. potestati civili ad finem
anni civilis;

4. idem valet intuitu *bonorum beneficialium*, quibus curam
impediat quasi anxiosam memor rationis intercalaris, a qua
sustentatio propria et proventus proprii dependent; propter
incuriam fere semper culpabilem administratores non pauci
damna gravia, hinc inde vix reparabilia, passi sunt;

5. *proventus enim intercalaris* in fundum religionis, qui
permittente ecclesia a potestate civili administratur, fluunt;
ideo potestas civilis *rationes intercalares* simul cum proba-
tionibus minutissimis exigit; finita administratione enim deter-
minari debent proventus, qui obveniant fundo religionis et
administratori, quique successori.

6. ideo in *diario speciali* omnes proventus et exitus
accurate describat, quod facile erit quoad proventus e pe-
cunia numerata, ex obligationibus vel syngraphis vel e loca-
tione possessionum;

7. si vero cum beneficio *oeconomia* coniuncta invenitur,
suadetur, ut ad annum tantum *locetur* et quidem publico con-
cursu nec non permittente ordinariatu; *instrumentum huius
locationis* servari et rationibus intercalaribus adiici debet; si

vero administrator universam oeconomiam vel partem eiusdem *ipse curare* vult, e. gr. vineam vel agros tunc *diurnale teneat oeconomicum*, in quo omnes expensas omnesque proventus fideliter describat, ut in rationibus intercalaribus illos absque ulla difficultate possit probare;

8. decurrente administratione nemini praeter administratorem competit *ius percipiendi quoslibet fructus* beneficii non exceptis illis, qui fors praecessori vel eiusdem haeredibus debentur, nam rationibus intercalaribus demum separatio necessaria fructuum perficietur;

9. *pro sustentatione administratoris legibus civilibus*¹⁾ ita provisum est, ut initio cuiuslibet mensis et quidem anticipate *salarium determinatum* illi solvatur, vel ut ipse sustentationem sibi procuret e *proventibus* beneficii, ita tamen ut summa legibus determinata rationibus intercalaribus in rubricam expensarum inseratur; vi quidem legis modus unus vel alter libero administratoris arbitrio relinquitur, qui suam de super voluntatem gubernio infra mensem notam faciat; *in nostra vero dioecesi propter graves difficultates usu venit, ut administratori sustentatio e proventibus beneficii assignetur.*

Si instructionem hanc administrator observaverit, finita administratione rationem iusto tempore et absque damno reddere poterit.

b) De cura parochi.

- Parochus installatus ampliores in se suscepit obligationes prae administratore non solum quoad curam spiritualem, sed etiam quoad administrationem omnium bonorum ecclesiasticorum, quapropter administrationi in genere nec non omnibus eiusdem partibus magnam impendant sollicitudinem.

Cum vero bona ecclesiarum parochialis et filialium separatim a bonis beneficialibus administrari debeant, nec non modo aliquantum diverso, ideo officia quoque parochi intuitu *bonorum ecclesiarum atque bonorum beneficialium* separatim inculcentur.

¹⁾ Lex de 29. Sept. 1898, § 2.

Bona ecclesiarum.

Ad legitimam administrationem requiritur primo, ut omnes *consignations* in scriptis et libris pro ordinata administratione necessariae haud ulla neglecta rite scribantur, atque secundo, ut *leges de conservatione* nec non de immutatione bonorum ad minutissimas usque formalitates observentur.

a) De scriptis et libris statuitur:

1. *Protocollum*, exaratum tempore commissionis bonorum in curam parochi, servetur. in archivio

2. *Inventarium* bonorum ecclesiarum exaretur novum et quidem separatim pro ecclesia parochiali et pro qualibet ecclesia filiali, nisi inventarium iam existens nuper exaratum fuerit atque propterea adhuc sufficiat.

Parochus strenue obligatur, ut *immutationem* quamlibet in bonis ecclesiarum ad finem inventarii explicite et nominatim describat, sive sint incrementa, sive imminutio pretii propter usum, sive permutationes vel alienationes vel interitus; si debitor summiam debitam restituit, notetur utrum et quando scripto illi concessum fuerit ius delendi debitum in libris publicis.

Quilibet *decennio* confiantur inventaria nova, nisi decanus causam habuerit *dispensandi* ab hac obligatione, eo quod decursu decenii vix ulla mutationes in bonis locum habuerint et additamentis in inventario facile dignoscantur. Dispensatio ad finem inventarii adnotetur.

3. Omnino necessarius est *liber*, in quo omnes *obligationes*, *libri cassae parsimonialis* et *debitores* privati accurate descripti inveniuntur et quidem cum rubricis, unde patebit census debitus, tempus solutionis nec non solutio iam facta vel omissa.

In initio vel ad finem *index* exaretur omnium, addita *pagina*, in qua singuli debitores publici vel privati consignati habentur.

Permutatio quaelibet in investimento pecuniae e. gr. si debitor pecuniam solvit, si pro pecunia elocata in cassa par-

simoniali obligatio emitur, accurate notetur in eadem pagina libri, in qua invenitur summa nunc aliter investita; notetur dies pecuniae a debitore solatae, nec non modus et dies novae elocationis.

4. Necessarius est *liber dati et expensi* vel *diarium ecclesiasticum*, in quo proventus omnes et exitus ecclesiarum describantur.

Diarium proprium sit pro ecclesia parochiali et pro quilibet ecclesia filiali, nisi proventus ecclesiarum filialium valde sunt exigui; in quo casu in uno diario pro singulis ecclesiis folia necessaria designentur, ita ut nihilominus rationes separatim pro qualibet ecclesia confici possint.

Describantur vero *omnes* proventus et exitus nullo excepto; ergo varii census, collectae in ecclesia, donationes licet ad liberam dispositionem parochi.

Permutatio quoque in elocatione pecuniae e diario fiat evidens, nam tum perceptio pecuniae e. g. a debitore, e cassa parsimoniali, tum nova elocatio e rubricis huius diarii clare pateant. Nam solummodo hac via parochus discrepaniam declarare poterit inter primum protocollum vel inventarium et praesentem statum pecuniae.¹⁾

5. Praesto sit praeterea *liber missarum fundatarum et fundi religionis*. Ex hoc libro primo obtutu pateat numerus fundationum, nomen fundatorum, obligationes missarum vel aliarum functionum, elocatio pecuniae, divisio inter participantes nec non persolutio obligationis. Voluntas enim fundatorum sancte impleatur; ergo providendum est, ne oblivioni detur, quod vero absque tali libro vix praecaveri poterit.¹⁾

6. In speciali *libro sedilium* in ecclesia pateat tum persona, cui usus determinatae sedis competit, tum summa quotannis solvenda, tum solutio ipsa. Nemo audeat affirmare, in ecclesia ordinem absque hoc libro servari posse.¹⁾

7. Postremo *liber quoque funeralium* procurari debet, etenim funera quoque fontem constituunt proventuum ecclesiasticorum, quapropter talis liber omnino necessarius est.

¹⁾ Cfr. Append.

Ex illo insuper probari poterit tum taxae impositio, tum eiusdem solutio, qua probatione ansa adimitur variis querelis immo et accusationibus in foro civili.¹⁾

b) De conservatione et permutatione bonorum ecclesiasticorum parochialis vel filialium sequentibus normis ordinatur.

1. Parochus curam gerat, ut omnes possessiones ecclesiasticorum, etiam coemeterium, in *publico libro fundorum* inscribantur qua proprietates istarum ecclesiasticorum. *Damna possessionibus illata statim procuratori fiscali* denuntientur. Idem valet de obligationibus vel libellis cassae parsimonialis, quae *vinculo proprietatis* sint munitae. Curent denique, ut aedificia in *statu bono* conserventur.

2. *Omnes proventus iusto tempore exigantur*, ne fors praescribantur vel actio iudicialis impossibilis fiat, quod eveniret, si exactio per tres annos negligeretur:

Proventus accepti statim tum libro diurnali, tum elendo debitorum inserantur, ut porta erroribus praecludatur. Eadem ex causa pro quolibet debitore privato *parvus libellus* praescribitur, in quo solutio praestita adnotetur.

Expensae currentes absque ulteriori permissione superiorum praestari possunt. *Expensae vero extraordinariae*, quae in eadem re decursu unius anni summam 60 coronarum superant, expendi non possunt absque licentia decani; pro illis, quae summam 120 coronarum superant, exigitur licentia *Ordinariatus*.

3. Substantia omnium bonorum conservari debet. Hoc valet de capitali, de agris, de pratis, de silvis, de aedificiis.

Exactio pecuniae investitae, alienatio bonorum, permutation bonorum quaecumque licite et valide fieri non potest absque *licentia* obtainenda tum ab ordinariatu, tum a potestate civili.

4. Sollicitudo magna impendi debet *novis fundationibus missarum* vel aliarum sacrarum functionum. Procurari enim debet tum pecuniae fructuosa *elocatio*, tum fundationis legitima *erectio*.

¹⁾ Cfr. Append.

5. Cum ab ecclesia *vitrici* permittantur, ut nomine parochianorum partes habeant in administrandis bonis ecclesiarum, parochius *opem eorum non recuset*, immo in omnibus negotiis, saltem difficilioribus adhibeat.

Quapropter *mandamus* parochis, ut vitricos de *statu bonorum instruant*, ideo v. gr. pecunias oblatas simul cum ipsis numerent, in annuali ratione reddenda de proventu et exitu informent, decurrente anno saepius cum illis consilium capiant, maioresque expensas absque eorum consensu non faciant.

Insuper volumus, ut in *deputandis vitricis parochi vota fidelium* perquirant, neque pro lubitu viros quoscumque forsib[us] bene visos seligant.

Mandamus quoque, ut quolibet *triennio* elapso vitrici vel novi, vel priores de novo deputentur modo in nostra dioecesi praescripto. Hoc mandato non observato fieri potest, ut vitrici nimis potentes evadant, partes inter parochianos sibi acquirant, in ecclesia praedominentur, neque absque scandalis removeri possint.¹⁾

6. Praeter vitricos *patronus* privatus ius habet informationis de statu bonorum ecclesiarum; quapropter facultas inquirendi in statum bonorum ei non denegetur. — *Patronus autem publicus* alio modo ius suum exercet.

7. Ultimo necessaria est *cassa ecclesiastica*, et quidem posita in loco tuto et munita *tribus seris tribusque clavibus*, in qua tum documenta maioris momenti, tum pecunia numerata recondi possit. Suadentur sic dictae *cassae »Wertheimer«* ut pote securitatem maiorem praebentes, licet non tres sed duas claves habeant.

Bona beneficialia.

Parochius *non habet ius dominii directi* in bona beneficialia; sed hoc ius est *penes officium ecclesiasticum*, quod ut pia causa censemur subiectum *iuris dominii* in bona beneficialia ipsi adnexa.

Est autem parochius primo *defensor beneficii*, qui ipsius res et iura tueri debet; dein etiam *tutor et curator beneficii*,

¹⁾ Cfr. Anweisung zur Vermögensverwaltung.

qui bonis sui pupilli singulari circumspectione consulere debet; ultimo *administrator* bonorum sui beneficii.

Intuitu vero *fructuum* parochus est verus *usufructuarius*, ita ut omnes fructus pro rata temporis suos facere atque iure dominii privati possidere possit.

Ex hac relatione parochi in beneficium, eiusdem sc. substantiam et fructus, sequentes pro ipso oriuntur obligationes et quidem quoad substantiam et quoad fructus.

a) Obligationes quoad substantiam.

1. *Cavere* tenetur, ne *substantia* beneficii reddatur *deterior*, quo in casu propriis sumptibus damnum resarcire obligatur.

2. *Onus* illi incumbit aedificia beneficialia *sarta tecta* servandi. *Reparationes minoris momenti*, v. gr. tecti, portarum, fenestrarum, podii suis sumptibus perficiat. *Reparationes vero maiores* ne suscipiat absque formalitatibus iure praescriptis, nisi *certus* sit fore, ut via privata donis benefactorum sumptus sufficientes obtineat.

3. *Praedia locare* propria auctoritate ne audeat *ultra triennium et absque clausula* locationem evadere nullam casu sueae mortis.

Locare vero praedia *ultra triennium* licitum non est nisi obtenta licentia ordinariatus et potestatis civilis et modis praescriptis.

4. *Silvas quoque* in statu quo conservare obligatur. Quapropter solummodo illam quantitatem arborum caedere potest, quam absque damno successoris leges civiles caedere permittunt.

Si ex gravi causa *massa maior* caedi debet, fructus percepti non cedunt parochio, sed substantiae, quapropter fructuose locari debent.

5. *Pecunia* cum necessariis cautionibus et utiliter investienda est et quidem ordinarie in bonis stabilibus, secundario etiam in tabulis debiti publici, prout de peculio ecclesiistarum definitum est.

6. Ut vero administrationis sua rationem reddere possit necesse est, ut sequentes consignationes praesto habeat:

a) *Protocollum* exaratum in ingressu administrationis, in quo bona beneficialia describuntur.

b) *Inventarium* bonorum beneficialium, de quo eadem valent praescriptiones ac de inventario bonorum ecclesiae parochialis et filialium.

c) *Fassionem* potestati civili exhibendam, ut sibi persuadeat, num proventus beneficiales congruam debitam attingant nec ne.

d) *Diurnale oeconomicum*, in quo expensae et proventus beneficii qua talis consignantur, quod praecipue tunc omnino necessarium est, si parochus praedia ipse colit. Quae necessitas preeprimis tunc patet, quando parochus morte vel translatione beneficium dimittit et propterea fructus, qui pro rata temporis illi obveniunt, dimetiri oportet.

b) Obligationes quo ad usumfructum.

Quoad *usumfructum* proventuum beneficii beneficiati omnino libere disponere non possunt, sed propter *naturam* proventuum, quibus fruuntur, variis obligationibus tum in *vita* tum in *morte* ligantur.

1. Parochi bonis quidem *patrimonialibus* et *quasipatrimonialibus* omnino libere disponere possunt; meminerint vero, quod fructus ex *reditibus vere et proprie beneficialibus* perceptos, qui supersunt post obtentam congruam sustentationem, in *causas pias* vel eleemosynas pauperum erogare teneantur.

Quae *obligatio* beneficiatorum expendendi superfluos reditus beneficiales ad causas pias est *certa et indubia*, estque repetenda ex lege ecclesiastica, cui obedientia debetur.

2. Inde variae fluunt sequelae in *condendis testamentis*.

Beneficiati *libere disponere possunt* de bonis patrimonialibus et de bonis, quae his aequiparantur.

De bonis vero *e redditibus beneficialibus* acquisitis, neque inter vivos in causas pias erogatis, in testamento disponere quidem possunt, at tantum ad *causas pias*.

Si vero ab intestato moriuntur, tunc *haeredes in conscientia eodem onere gravantur*, quo ipsi clerici defuncti erant

obstricti. Cum vero difficile sit, distinguere fructus vere beneficiales a reliquis, haeredes non sunt inquietandi.

3. Rebus ita stantibus parochi et clerici omnes monentur, ne *instituti St. Stanislai* *obliviscantur*, eo quod vix opus datur magis meritorum ac est cura pro conservanda iuventute in vera fide et moribus christianis, pro educandis laicis cultis persuasione et vita vere christianis, praecipue pro procurando bono clero atque exemplari.

3. De reddenda ratione administrationis.

Parochio et administratori officium incumbit reddendi *rationem de administratione bonorum ecclesiarum* tum parochialis tum filialium, quae ratio quotannis elapso anno civili confici debet.

Quod vero bona beneficialia attinet, distinguendum est inter substantiam et inter fructum eorum. Relate ad *substantiam* quotannis fateri debent eiusdem incrementa vel decrements. Relate vero ad *fructus parochus* omnes facit suos, quapropter de usu eorum nullam tenetur reddere rationem nisi soli Deo. Fructus vero, qui tempore *vacaturae* obveniunt, pro rata temporis in *fundum religionis* fluunt, neque administratori, eos sibi applicare, fas est; sed pro administratione proventus sibi a lege assignatos e fundo religionis, vel nomine huius fundi e redditibus beneficii percipit. Ut vero pars proventuum applicanda fundo religionis iuste designetur necesse est ut administrator rationem *intercalarem* tempore determinato ponat.

a) De ratione intercalari.¹⁾

Ut ratio intercalaris rite conficiatur, accurate definiantur *tempus intercalare*, *proventus intercalares* et *divisio proventuum*.

Tempus intercalare.

Tempus intercalare sensum habet *strictiorem vel latiorem*:

1. *Tempus intercalare* sensu *strictiori* denotat dies *vacaturae* beneficii. *Inchoat* vero a die *investiturae* beneficiati

¹⁾ Poč, l. c. pg. 338, 199; Anweisung § 149.

in novum beneficium, vel die inchoatae pensionis aut prima die post mortem secutam; *terminatur* vero die ante installationem novi beneficiati.

2. Tempus intercalare sensu *latiori* complectitur integrum *annum canonicum*, infra quem vacatura contigit, i. e. tempus a festo S. Georgi 24. aprilis anni currentis usque ad illud festum et illum diem anni sequentis.

Si vero vacatura *ultra* hoc festum perdurat, tunc *duo anni* intercalares computantur.

Haec distinctio prae oculis habeatur in instruenda ratione intercalari nec non determinandis fructibus, qui singulis participantibus obveniunt.

Proventus intercalares.

Quod de tempore intercalari diximus, idem etiam de proventibus statuendum est.

1. nomine »proventuum intercalarium« designantur proventus *integri anni canonici*. De his proventibus animadverendum est:

a) fructus *praediorum* in fassione declarandi sunt illi, qui *revera* obtenti sunt, non vero puri fructus catastrales; quapropter rationi speciale computum oeconomicum tamquam instrumentum probationis adiiciatur;

si vero *elocatio* praediorum, quae non nisi ope publicae licitationis fiat, locum habuit, tunc proventus probari debent ex protocollo licitationis;

fructus *sibi reservati* ab administratore inter proventus assignari debent et quidem pretio locali;

idem observetur quoad fructus ex silvis, unde administrator nec ad usum proprium ligna gratis habere potest, atque de fructibus ex vineis, quae ob periculum deteriorationis numquam locari possunt.

Proventibus adiiciantur omnes fructus, qui ratione beneficii obveniunt atque in fassione beneficiati approbati sunt.

b) A proventibus detrahi debent expensae et quidem impensae necessariae pro oeconomia curanda, quibus merces

quoque servorum et ancillarum, *quae oeconomiae causa* tenentur, computari debet;

inter expensas veniunt varia *vectigalia* beneficio imposita;

in genere omnes *praestationes* debitae intuitu beneficii, etiam pensiones beneficii impositae nec non in fassione approbatae.

c) Ad varias assertiones oeconomicas a *praefecto comunitatis* declaratio exigitur, eas circumstantiis localibus revera respondere.

2. Nomine »proventuum intercalarium« sensu strictiori designantur proventus vacaturae, qui fundo religionis obveniunt.

Isti proventus componuntur:

a) *e parte proventuum integri anni pro rata temporis atque*

b) *e proventibus attingentibus solummodo tempus vacaturae* v. gr. proventus stolae nudae, proventus capellaniae eo tempore vacantis, expensae ob renumerationem pro duplice servitio, pensio antecessori solvenda.

Stipendium vero pro missis manualibus et fundatis nec non pro aliis functionibus sacris relinquitur administratori; pro missis pro *populo* et pro missis beneficialibus administrator nihil exigere potest; pro missis vero fundi religionis conceditur stipendium.

Divisio proventuum intercalarium.

Divisio proventuum integri anni fieri debet inter antecessorem, fundum religionis et successorem et quidem cuilibet horum *pro rata temporis*.

Ut haec divisio iusta sit, prae oculis habeantur, quae sequuntur:

a) annus oeconomicus censetur habere 360 dies, mensis vero dies 30; hoc posito haud difficile portiones singulorum participantium determinabuntur;

b) ista pars tunc comparari debet cum summa quam antecessor et successor iam percepérunt, unde determinari

poterit, qualis summa illis adhuc debeatur vel qualem summam fundo religionis restituere teneantur;

c) eodem modo comparari debent fructus et quidem fructus intercalares latiori sensu simul cum proventibus intercalaribus strictiori sensu, quos administrator iam percepit cum salario, quod vi legum illi debetur, unde patebit, numquid e fundo religionis adhuc exigere vel fundo religionis restituere teneatur.

d) potestas civilis non attendit nisi *ad partem debitam fundo religionis*; quapropter in computo intercalari non proponatur nisi isthaec pars; unde comparatione facta cum solario administratoris patebit summa, quam administrator fundo religionis, aut fundus religionis administratori solvere teneatur;¹⁾ partes vero participantes inter se convenient;

e) cum vero in *determinanda parte*, quae e proventibus in pecunia numerata, in lignis, in fructibus oeconomiae, in collectura, e variis fundationibus participantibus obveniat, *saepius difficultates haud spernienda suboriantur*, ad praecavendas varias lites *Synodus statuit*:²⁾

1. Quoad proventus e variis fundationibus Synodus statuit:

De proventibus e missis fundatis aliisque functionibus fundatis quilibet eam partem percipit, quae pro functionibus persolutis vi fundationis determinata est. Quoad fundationes, quae decursu anni persolvi debent, *quin dies mensis determinatus* sit, caveat beneficiatus vel administrator, ne relictis fundationibus *tenuibus* successori ipse *uberiores* tantummodo persolvat;

quoad missas, quae *beneficio* inhaerent atque propterea in congruam computantur, tenendum est: si proventus istius fundationis beneficialis tam *tenues* sunt, ut pro singulis missis tantummodo *taxa* dioecesana, vel summa, quae illam taxam *notabiliter haud* superat, obveniat, fructus dividatur pro *rata temporis*. Si vero fructus *uberiores* sunt, tunc detracta ab

¹⁾ Poč, l. c., pg. 341; Anweisung § 148—149.

²⁾ Škof. List, an. 1907, pg. 65, sqq.

illis taxa dioecesana pro missis pars proventuum superabundans inter participantes pro rata temporis dividatur. Idem in qualibet alia *simili fundatione* tenendum est. — In hoc casu annus computari solet *solaris*.

2. Quoad *collecturam* tenendum est, *omnem collecturam* tum liberam tum obligatam inter participantes pro rata temporis dividendam esse; prius vero expensae pro collectura a summa detrahantur, iisque, qui illas facere debuit, rependantur. Suadetur, ut successori fructus naturales: lignum, frumentum, foenum, aliaque relinquuntur, non autem pretium illorum, nam si e. g. hieme succederet, obiecta praedicta, quibus indiget, nonnisi pretio magno comparare sibi posset. — In hac divisione annus computatur canonicus, sc. a S. Georgio usque ad S. Georgium.

3. Quoad *fructus e praediis beneficialibus*, quorum iusta divisio saepe valde difficilis et vix possibilis est, Synodus statuit:

Si praedio *fundationes* v. g. missarum inhaerent, expensae et fructus illi obveniunt, qui onera portavit, vel si antecessor et successor partem onerum portavit, tunc detractis expensis fructus inter utrumque pro illa parte distribuuntur;

si praedium, quocum varia onera v. g. missarum conjuncta sunt, ad *beneficium* pertinet, cui meliorum proventuum causa donatum fuit, distributio modo fiat eodem, sicut supra de missis beneficialibus stabilitum fuit: detractis expensis uterque participantium accipit taxam pro onere ab ipso persoluto, reliqua vero summa inter utrumque pro rata temporis dividitur;

si vero praedium ad *nuda bona beneficialia absque ulteriori onere* pertinet, tunc distinguendum est:

quando permutatio in persona beneficiati *in festo Sancti Georgii die 24. Aprilis* fit, *omnes fructus*, qui iam collecti sunt, antecessori obveniunt; si vero frumentum etc. hiemale vel vernale seminavit, cuius fructus successoris erunt, antecessor ab illo nihil revindicet praeter *expensas necessarias pro cultura*, scilicet pretium laboris, stercoris et seminis; consuetudo rependendi antecessori *duplex pretium seminis*

nostris temporibus, quibus operarii tam magnam exigunt mercedem, sustineri amplius non potest. *Diarium oeconomicum* hoc in casu optima praestabit servitia; illo deficiente expensae secundum aequitatem computentur;

quando autem permutatio beneficiati *infra aliam anni partem* hiemalem, vernalem, aestivam vel autumnalem fit, solutis antecessori expensis fructus pro rata temporis inter utrumque dividuntur; si antecessor seminavit, successor autem messem procurabit, tunc valor fructuum adhuc stantium stabilitus a peritis detractis expensis, quos uterque beneficiatus pro cultura habuit, inter utrumque pro rata temporis dividatur.

Vectigalia, quae pro praedio solvenda sunt, inter beneficiatos pro rata servitii distribuuntur.

Quando vero usus praedii *locatione* ad tertiam personam translatum fuit, hoc in casu inter utrumque beneficium pro rata temporis dividuntur tum vectigalia, tum pretium pro locatione obtentum et quidem semper, quocumque anni tempore permutatio facta est.

Hoc in casu annus computatur canonicus non vero solaris vel civilis.

4. Quoad *silvas* beneficiatus tantam lignorum quantitatem caedere potest, quanta pro calefactione et pro reparaturis aedificiorum necessario requiritur, si leges hunc in finem conditae, caesionem tantae quantitatis permittunt. *Ligna*, quae tempore permutationis ad calefaciendum vel ad reparaturas supersunt, antecessori non licet vendere, vel auferre, sed relinquere illa debet successori, qui expensas habitas rependere illi tenetur. *Vectigalia* uterque pro rata temporis solvit.

5. Fructus e *vineis* detractis expensis *pro rata temporis* inter utrumque beneficium distribuitur.

6. *Casu dissensionis* inter antecessorem et successorem sequens modus observetur:

si *cooperatores* dissentiant, rem componat *parochus*, cui omnes circumstantiae notae sunt; si compositio non placet, recursus ad decanum patet; casu, quo *decanus et parochus*

consentiantur, recursus ulterior *non datur*; si vero dissentiantur, recursus ad Ordinariatum permittitur;

si vero parochi, vel parochus et administrator dissentiantur, rem componere studeat decanus, qui qua installator novi beneficiati circumstantias omnes bene novit; si beneficiati cum iudicio decani contenti non sunt, lis Ordinariatu dirimenda proponatur.

b) De ratione annuali ecclesiastica.

Cum bona ecclesiastica sacrum prae se ferant charactrem, non tantummodo administratio eorum legitime peragatur, sed etiam ratio quotannis reddenda fideliter componatur. Quapropter iam *per decursum anni* praeparentur omnia, quae ad rationem faciliorem conducant, *anno vero elapso* ratio legitime absolvatur.

Per decursum anni.

Decurrente anno rationis reddendae causa prae oculis haec habeantur:

1. singulae expensae, que non fiant nisi postulante iusta causa, *documentis* probentur v. gr. protocollo licitationis, computis suscriptis a venditoribus, a percipientibus;

2. *fructus* omnes iusto tempore percipientur; ideo v. gr. omnes *debitores* tempore suo procentus, *usufructuarii* agrorum vero condictam solvant mercedem; nisi solverint, monentur; census quoque ex *obligationibus* status percipientur;

3. *fundationes* novae statim Ordinariatu ad confirmationem proponantur;

4. *mutationes* in statu bonorum accurate notentur simulque conserventur licentiae scriptae Ordinariatus vel potestatis civilis.

Anno elapso.

Anno elapso rationes statim absque ulla cunctatione examinantur:

1. Ad rationem componendam viam sternet ratio ultima approbata ab Ordinariatu;

2. in omnibus datis et acceptis concordare debet ratio cum diurnali ecclesiastico;

3. documenta et probationes prouti praescribuntur, colligantur et confiantur;

4. ratione composita invitentur *vitrici*, ut rationem sua subscriptione approbent; si patronus postulaverit rationem, ratio illi ad manus mitti potest; immo patrono permittitur, ut suis expensis copiam sibi procuret;

5. *vitricis ratio omnesque eiusdem partes explicentur*; occasio ipsis praebatur procurandi sibi persuasionem substantiam omnem mansisse intactam: adesse ergo omnes obligationes, omnes syngraphas, omnes res pretiosas, omnes res mobiles et immobiles;

6. *aedificia* omnia ecclesiastica et beneficialia revisioni subiificantur, ut statu cognito necessariae fors reparations ordinentur, vel in casibus difficilioribus periti ad sententiam dicendam provocentur;

7. *vitrici et patronus Ordinariatum de negligentia in servandis et reparandis aedificiis certiore reddere possunt, immo obligantur.*

8. *Ratio composita saltem usque ad diem 15. Februarii decano* mittatur, qui facta revisione nec non additis necessariis vel utilibus observationibus illam quam primum ad Ordinariatum expeditur est.¹⁾)

Cap. II.

De negotiis cancellariae.

Ad curam animarum negotia quoque cancellariae, licet nexu remotiori, pertinent. Quae negotia bonus curator animarum haud negliget, sed iusto tempore et praescripto ordine expedire sataget.

Quapropter prompto animo *commercium* cum variis aliis officiis sustinebit, *libros omnes*, qui plus minusve stricte

¹⁾) Instructio uberior porrigitur in Poč, l. r., pg. 290—312; Anweisung §§ 123—134.

praecipiuntur, sibi procurabit nec non legitime exarabit, postremo *tabularium* (archivium) exemplariter ordinatum conservabit, nec non cooperatores desuper sufficienter informabit.

§ 1.

De commercio cum officiis.

Curator animarum multa negotia expedire non poterit, nisi res ad illas pertinentes *scriptis mandaverit et scriptotenus* cum aliis officiis sibi paribus vel superioribus, ecclesiasticis vel civilibus, saepe saepius *communicaverit*.

Ut hanc quoque partem officiorum rite adimpleat, nec ullam ignorantiam in sui ignominiam p[re]se ferat, attendat oportet ad *naturam* variorum actorum, quae scriptis sunt exaranda, ad *formam* eorum atque ad *protocollum* gestorum.

1. De natura scriptorum.

Quoad *naturam* eorum, quae scriptis expediri debent, attendat curator animarum:

a) *personam*, ad quam scriptum dirigatur: utrum confiendum sit pro persona privata et pro usu privato, an pro usu publico, num dirigendum sit ad officium civile an ecclesiasticum, ad aequalene an sibi praepositorum, rectane via, an via decanatus vel ordinariatus;

b) *genus* scripti exarandi: litteraene, an preces supplices, informationes, querelae, recursus, documenta, exemplaria apographa, (copiae), litterae duplices (duplicata), attestations, pacta, contractus, protocolla, promemoria;

c) *modum*, quo tale scriptum pro persona, ad quam dirigitur et pro natura sua concipi debeat; nam decursu temporis pro variis scriptis *stilus proprius* invaluit, quapropter curator animarum hunc quoque stylum in negotiis expediendis probe addiscat, ne forte scriptum propter varios defectus invalidum sit.¹⁾

¹⁾ Vide Poč, Duh. poslovnik, §§ 1.—29.

2. De forma scriptorum.

Curator animarum ad formam quoque scriptorum attendat, tum ad *intrinsecam*, quae e natura rei fluit, tum ad *extrinsecam*, quae decursu temporis in praxi obtinuit; et quidem

a) quoad formam intrinsecam stilos ecclesiasticus postulat primo *omnimodam veritatem*; tenor igitur rebus et circumstantiis omnino correspondeat immunisque sit ab omni subreptione vel obreptione;

brevitatem et simplicitatem: ambages, repetitiones multiloquium omnino excludantur;

dexteritatem quae formas grammaticae et syntaxis non negligit, longas periodos vitat, rhetoricas exuberationes respuvit, paucisque verbis omnia declarare nititur; quapropter scriptum quodvis *prius concipiatur et corrigatur, tum demum describatur et expediatur*;

decentiam et dignitatem prouti a sacerdote iure expectatur; caveat ergo sacerdos a rusticitate, verbis offensivis, expressionibus inspiratis ira, laeso amore proprio, despectu proximi vel superioris; caveat ab his imprimis tunc, quando ab aequalibus vel etiam a superioribus putat iniuriam sibi esse illatam;

modestiam, quae in scriptis erga superiorem non quidem abominabilem servilismum, sed decentem reverentiam praese fert.

b) quoad formam extrinsecam notanda sunt, quae sequuntur:

Cum decursu temporis, ut *negotia facilius celeriusque expediri valerent*, variae formae extrinsecæ in usum venerint, *minime negligendæ* sunt;

ideo id, quod ex offo scriptis referendum venit, primo perscribat, deinde diligenter emendet, tum demum exemplar transmittendum conficiat: ita non modo eius scripta mendis carebunt, sed simul omnium scriptorum exempla in tabulario reservare poterit, quod quidem haud raro magno usui erit;

ad primum exemplar exarandum adhiberi poterit *charta communis*, ad scriptum vero, quod transmittendum erit, eli-

gatur *charta melior*, immo pro scriptis, quae characterem documentorum p[re]ae se ferunt, adhibeatur charta pro *documentis adaptata*;

acta ex offo *nitide scribantur* et quidem in *charta integra* cum duobus foliis, exceptis certificatis, testimoniiis, chirographis debiti et similibus, pro quibus *unum folium* sufficit; textus nunc ordinarie per omnem latitudinem cuiuslibet paginae extenditur exceptis forte libellis supplicibus, quorum textus non occupat nisi dexteram partem chartae per medium plicatae;

res diversi generis, licet cum eodem officio pertractentur, nihilominus *diversis scriptis* consignari debent, cum diversis officialibus eiusdem officii solvendae traduntur, insuper in protocollo gestorum sub *diversis numeris* inscribuntur;

variis scriptis, v. gr. precibus pro transactione in bonis ecclesiasticis, pro dispensatione obtainenda, pro congrua assignanda saepe saepius probationes vel declarationes adiungi debent, quarum *exemplum*, si maioris sunt momenti, in archivio ad usus fors futuros reponatur;

in responsis, quae aliis officiis dantur, ponere oportet *numerum et datum* istius scripti, deinde decet, ut responsum exaretur in *charta separata*, non autem a tergo alieni scripti, quod in archivio recondi debet; exceptio admitti non posset, nisi pro scriptis *exigui momenti*, vel pro iis, quae ad officium *remitti* debent, si responsum valde breve est; si vero responsum non est breve, tunc exarari debet in charta separata, cui scriptum remittendum adnectatur;

numerus currens magni est momenti, secus scriptum in fasciculo et archivio repositum inveniri non poterit; hic numerus in propriis actis ad sinistram superioris partis primae paginae intrinsecae, in actis ab alio officio acceptis vero ad sinistram superioris partis extrinsecae folii plicati ponitur;

titulus extenditur per latitudinem chartae; in superiori parte dextera ponitur locus et datum; *finis* consuetus in epistolis omittitur exceptis libellis supplicibus; finito scripto charta *plicatur*, tunc exterius in parte dextera superiori in-

scribitur *officium*, cui scriptum expeditur, inferius *argumentum* scripti et ultimo numerus probationum, quae addi debuerunt;

charta plicetur adhuc una vice atque involucro separato tegatur; si vero *totum scriptum pluribus constat foliis*, plicatione secunda omissa involucrum oblongius adhibeat;

in parte externa involucri adnotari oportet: officium a quo in superiori parte; officium ad quod in medietate, dein inferius in sinistra parte verbum ex offo, in stricte officiosis, ut scriptum a stigmate postali solvendo liberum maneat.

3. De protocollo gestorum.

Omnia scripta sive accepta sive expedita *magni esse solent momenti*: nam ex illis probari poterit, hoc vel illud negotium fuisse absolutum; ex illis in memoria repeti poterunt mandata superiorum vel conditiones contractuum; ex illis instructio decerpi poterit de modo, quo res tempore praeterito peractae fuerint.

Ut vero talis usus possibilis fiat, omnia scripta breviter referre oportebit in *protocollum gestorum*, de quo protocollo notandum est:

in *qualibet cancellaria* protocollum gestorum praesto sit;
rubricae formularis omnes accurate expleri debent; et quidem, primo loco numerus currens scripti, secundo dies et mensis scripti accepti; tertio officium a quo simul cum argumento breviter relato; quarto solutio; quinto dies scripti expediti; ultimo signum fasciculi; quando vero parochus proprium scriptum expedit, tunc in rubrica tertia loco officii a quo, ponatur »ex offo«, deinde argumentum breviter describatur per totam latitudinem rubricae tertio et quarto loco positae; numeri currunt per scripta, ita ut quodlibet novum scriptum novum immediate sequentem numerum obtineat (exceptis responsis, quae numerum obtinet scripti, ad quod respondetur): notetur »signum« scripti esse nomen, quo unico materia scripti praecise exprimitur; potest vero hoc signum esse nomen proprium personae, de qua, vel loci, de quo agitur, vel rei, quae exponitur v. gr. taxa, visitatio, reductio missarum, sarta tecta, binatio, dispensatio a bannis etc.

acta exhibeantur *ordine*, quo accepta vel expedita fuerunt et quidem *propriis*, quorum exempla conservanda sunt, non exceptis;

scriptura sit nitida et clara; quapropter necesse est protocollum scribere lente et atramento nigro;

intra singulos numeros remaneat *spatium* tale, ut numerus a numero facile distinguatur, propterea optimum erit post quemlibet numerum ducere lineam.

§ 2.

De libris ecclesiasticis.

Praeter illud commercium officiorum in qualibet parochia *variis occurrunt eventus*, ad quos curator animarum attendere debet et quidem vi legum latarum ab ecclesia et civitate aut vi ordinationum, quae pro dioecesi latae et pro ordinata cura animarum necessariae sunt.

Huc pertinent *nativitus et baptismus, confirmatio, copulatio et casus mortis* evenientes apud fideles cuiuslibet parochiae. Insuper valde proficuum, immo pro cura necessarium est, ut curator animarum *statum fidelium omniumque familiarum* accurate noscat. Ultimo vitam fidelium, prouti *variis associationibus* aggregati sunt, immo vitam quoque *politican et socialem* non ignoret.

Quapropter necessarii sunt varii libri, in quibus isti eventus omnesque motus in parochia describuntur. Quibus libris adnumerantur: *matriculae, liber de statu animarum, consignationes membrorum in variis confraternitatibus et congregationibus et liber memorabilium (chronicon)*.

1. De matriculis.

Matriculae i. e. liber natorum et baptizatorum, liber copulatorum, et liber defunctorum ab *utraque potestate* tum ecclesiastica, tum civili prascripti sunt. Immo *potestas civilis* valorem *documenti publici* illis agnovit. Inde patet non solummodo, quanti sunt *momenti pro iuribus fidelium stabiliendis*, sed etiam qua de causa potestas *utraque tam accurate usque*

ad res minutissimas praescripserit, quomodo matriculae scribi debeant, necnon a scriptoribus matricularum illas ordinationes conscientiose et stricte observandas esse et quidem sub variis poenis, quae pro casu negligentiae ipsis imponi possint.

Quapropter praescripta civilia et ecclesiastica, quae matriculas attinent, *generalia et specialia* brevi in memoriam revocentur.

a) *Praescripta generalia.*¹⁾

Primo enumerentur praescripta, quae omnes matriculas respiciunt:

1. Matriculae sunt *libri*, in quibus tot folia simul ligata sunt, ut pro aliquot annis sufficient; statim ab initio omnibus foliis *paginae* assignentur, ne postea folium unum vel alterum in fraudem removeri possit; in fronte destinatio libri indicetur;

2. matriculas scribat parochus, resp. vicarius vel *cappellanus* independens; si vero *substitutum* habet, quod licet, *nihilominus* ille pro omnimoda veritate et rectitudine respondebit; in utroque casu *ad finem cuiuslibet folii* parochus nomen suum subscribere tenet;

3. Inserat vero in matriculas actus respectivos, qui inter *catholicos suaे parochiae* eveniunt; exceptiones referuntur infra, ubi de singulis matriculis sermo erit; actus vero inseratur *statim absque remora*, ne patrini vel testes, qui propria manu nomen suum in matriculis inscribere tenentur, prius discedant; actus describatur, prouti rubricae formularis ex-postulant;

4. *scriptura* sit *clara* adhibito atramento nigro, atque distincta, ut facile legi possit; *errores*, qui fors subrepserunt, *non radantur*, sed linea super illos superducta ita, ut legi possint, corrigantur; abbreviatio non admittitur, sed semper et ubique nomina omnia plene scribenda sunt;

5. attendi praeprimis debet, ut *nomen familiae* accurate scribatur; *nec una littera* omittatur, *nec correctura* ulla v. gr. *orthographica* permitti potest; tale nomen depromi debet

¹⁾ Poč, Duh. poslovnik, pg. 62 sqq.

e veteribus documentis, e prioribus matriculis, e libro status animarum;

6. nomen familiae in *aliud* mutari non licet, nisi mutatio a *potestate civili* ordinata fuerit; idem valet de nomine *gentilicio*, quando familiae cuidam conceditur;

7. *testes et patrini*, quibus actus rite peractus probatur, nomen suum in matriculis *propria manu* inscribere tenentur; si scribere ignorant, nomen eorum addito *propria manu* signo crucis ab alio scribatur, qui etiam nomen suum qua *testis* subscribat;

8. ad *finem anni* matricula clauditur; ad calcem ponatur numerus casuum exhibitorum, datum et nomen parochi;

9. correctura vel additamentum auctoritate propria non permittitur; *una tantum* datur *exceptio: legitimatio* natorum.

10. si aliquis actus matriculis *insertus non fuit*, causa via ordinariatus ad potestatem civilem deferatur, a qua correctura mandabitur; si in loco correcturae spatium non datur, tunc correctura post ultimum actum anni currentis et quidem absque numero currenti per extensum inscribatur addita annotatione loci, ad quem pertinet; tunc in hoc etiam loco exhibetur nota, nomen x y inveniri in pagina x y post numerum currentem x y;

11. copiae (*apographa*) quoque omnium matricularum, quae cum originali ad unguem concordent, saltem ad *finem mensis januarii* via officii decanal is ad ordinariatum expeditant; si vero postea *correcturae aliquae, legitimationes, additamenta* vi potestatis civilis in matriculis locum habuerunt, statim *ordinariatus* desuper certior reddatur, ut etiam copiis id ipsum additamentum inseri possit;

12. a partibus vel a variis officiis saepe saepius *testimonia* de actibus in matriculis descriptis, vel *extractus prae- cisi* e matriculis ut poti necessarii expetuntur; curator matricularum votis fundatis absque cunctatione et mora satisfacere debet;

13. quoad *legalisationes* documentorum, quae e matriculis exhibentur, si pro statu extraneo inservire debent et

vice versa, observare oportet leges civiles, a quibus modus legalis decernitur;

14. *repertorium ad omnes matriculas accurate conficiatur, cui omnes et singuli casus statim inserendi sunt.*

b) *Praescripta specialia.*

Quid in specie de singulis matriculis deque expletione rubricarum, quae in iis occurunt, observari debeat, confer auctores probatos.¹⁾ Quapropter solummodo eas indigitabimus circumstantias, ad quas parochus praeprimis attendat:

1. *Liber natorum et baptizatorum.* Parochus p[re]ae oculis habeat, quae sequuntur:

libro infantes quoque, qui *mortui nati* fuerunt, inserantur, si ad illud stadium evolutionis pervenerunt, quo in lucem editi vivere potuissent, i. e. si assecuti sunt saltem sextum mensēm a conceptione;

si *gemelli* nati sunt, omnes rubricae quoad utrumque expleantur, ad lineam vero, quae utrumque complectitur, ad-datur vocabulum: *gemelli*; notetur insuper, quinam illorum est primo –, quinam vero secundogenitus;

qua *legitimi* notentur omnes, quos nuptiae legitimos ostendunt, exceptis liberis natis decimo mense iam elapsō a die, quo iudicialiter proclamata fuit separatio coniugum; quae nota *corrigi non potest nisi vi decisionis factae a iudicio*, apud quod pater infra tres menses post acceptam notitiam de nativitate infantis, quem legitimū agnoscere nolle, reclamaverit; ut vero correctura in libro perfici liceat possit, requiritur praeterea mandatum potestatis civilis;

pater illegitimi infantis libris non inseratur, nisi ipse directe exegerit et quidem coram *duobus testibus*; quem actum parochus in libro infra nomen et reliquam descriptionem infantis per extensum describat; praeter testes affirmatio quoque et subscriptio illegitimae matris postulatur; quapropter in *casu illegitimae prolis* in libro spatium relinquatur liberum;

¹⁾ Vel Poč, Duh. poslovnik, vel Seidl, Matrikenführung.

id ipsum valet pro casu *legitimationis* proli illegitima, in quo praeterea etiam in extenso tempus signetur *copulationis* parentum, simulque tomus et pagina libri copulatorum; si vero copulatio non in illa parochia contigit, in qua infans illegitimus natus fuit, neque parentes coram parochio loci nativitatis personaliter comparere et testimonium copulationis exhibere possunt, parochus *legitimationem* libris suis inserere non potest nisi ex mandato potestatis civilis;

si locus nativitatis *urbs* est, nomini urbis addatur nomen vici (plateae), postea numerus domus;

in rubrica »adnotationes« *dies nativitatis et copulationis parentum* exhibeat, et quidem propter exhibitiones faciendas potestati civili; vi decreti: „Ne temere“ nova addatur rubrica de copulatione infantis peracta aetate conveniente;

si baptizatus moritur, mors eius in libro quoque baptizatorum signetur posita parva cruce + ad nomen defuncti; quoad pueros exhibitiones variae, praecipue illae pro re militari, hanc notitiam exigunt, pro puellis vero exhibitio necessaria propter obligationem frequentandi scholam idem exposcit;

quando casus dubii vel difficiliores obveniunt, recursus patet ad ordinariatum;

repertorium nullo modo negligendum est.

2. *Liber copulatorum*. De hac matricula observetur:

Parochus vel eius vices gerens celebratum matrimonium statim in libro matrimoniorum describere tenetur, etsi sacerdos delegatus matrimonio adstiterit (descr. Ne temere.);

ut vero legibus civilibus satisfiat, tenendum est: si parochus domicilii vel quasi domicilii utriusque vel unius sponsi matrimonio adstitit, ipse matrimonium in matricula apposito numero currente describet; si vero matrimonio adstitit parochus, qui non est parochus domicilii, ex delegatione tamen parochi domicilii, ipse in propriis matriculis matrimonium describet et quidem cum numero currente; parochus vero domicilii actum copulationis, de quo a parochio delegato infra octiduum post copulationem peractam certior redditur, inscribit quidem suo libro copulatorum, ast sine numero currente;

idem observandum *in casu matrimonii mixti*, si matrimonium antea coram ministro acatholico initum et in matriculis huius ministri sub numero currente insertum fuit;

in rubricam »*copulans*« parochus vel cooperator vel delegatus *propria manu* nomen suum ponit; et quidem sacerdos *delegatus addita affirmatione delegationis*;

in rubrica »*aetas*« indicentur anni completi sponsi resp. sponsae addito die, mense et anno nativitatis;

nomini viduae praeter cognomen a patre deductum nomen quoque, cognomen et character defuncti viri adiiciatur;

in rubricam »*vidua*« notetur *tempus, ex quo vidua facta est*;

rubrica »*documenta*« patet; *probationes* omnes de legitima copulatione notae fiant *dato*, quo exaratae, numero currente et officio, a quo editae fuerant;

documenta in archivio reponantur, ibique serventur; ne mini tradere ea licet, neque officiis absque licentia obtenta a potestate civili; *copias* vero in casu necessitatis confidere licet; *excipluntur testimonia nativitatis*, quae partibus id pertinentibus tradi poterunt; ast factum et datum in protocollo examinis sponsorum accurate notetur;

repertorium accurate scribatur; in repertorio ordine alphabeticō inseri debent nomina tum sponsorum, tum sponsorum;

matrimonium insuper notari debet *in libro baptizatorum*; quodsi coniux alibi baptizatus fuerit, *matrimonii parochus notitiam initi matrimonii ad parochum baptismi transmittat*, ut matrimonium in librum baptismi referatur; haec res nova gravis est, quia praescribitur, ut de matrimonio contracto constet, nec ullum matrimonium occultari vel negari possit.

3. *Liber defunctorum*. De hac matricula notandum est:

in librum defunctorum inscribuntur *omnes casus mortis*, qui in parochia contigerunt nullo habito respectu ad locum domicilii; nomina vero eorum, qui *infortunio aliquo disparuerunt*, quorumque *corpora inveniri haud possunt*, libro defunctorum non inseruntur nisi *ex ordinatione potestatis civilis*; inseruntur vero nomina eorum, qui in parochia licet non mortui, attamen *sepulti sunt*;

sine numero currente referuntur casus solius sepulturae,
nec non casus, si defunctus evangelicae confessionis in coe-
meterio catholico sepelitur;

in rubricam »*nomen, cognomen*« . . . additur utrum de-
 functus fuerit *liber* an *matrimonio iunctus*, an *viduus*; deinde
 character defuncti; apud *infantes* sexenio minores *legitimusne*,
an illegitimus; apud omnes personas *liberas* nomen, cog-
 nomen et character parentum; non solummodo ad *feminas*
 uxoratas aut viduas nomen, cognomen et character viri vivi
 vel defuncti adiiciatur, sed ad viros quoque vel viduos adii-
 ciatur nomen uxoris, et quidem propter exhibitiones, quae
 a potestate civili requiruntur;

rubrica »*aetas*« exhibeat annos defuncti completos, annum
 et diem nativitatis.

Redertorium non negligatur.

4. *Liber confirmatorum* legibus civilibus non praesciri-
 bitur; praescribitur vero *legibus dioecesanis*, ne in fraudem
 sacramentum *bis recipi* possit, ut in certis casibus *testimo-*
nium de suscepto hoc sacramento exarari nec non *impedi-*
menta matrimonii detegi possint.

2. De libro status animarum.

Liber status animarum a rituali romano praescribitur,
 quapropter etiam a nostra Synodo cura eiusdem omnibus
 parochis inculcatur.

Liber enim status animarum *ad faciliorem parochiae*
administrationem fideliumque cognitionem haud parum confert.
 Insuper parochum in conficiendis variis litteris, quae ex officio
 iniunguntur, multum adiuvat. Nam numerum parochianorum,
 aetatem infantium, statum moralem fidelium, varias cognationes
 et affinitates aliaque plurima absque multo negotio
 eruere parochus ex hoc libro poterit.

Quapropter *parochus obligatur*, ut huic libro sollerter
 omnia inserat, quae inserenda veniunt. Observet vero regulas
 sequentes:

1. *Ab initio libri* ponatur *locus parochialis ecclesiae*;
 postea vero reliqui pagi ordine *alphabetico relictis inter sin-*

gulos nonnullis foliis pro novis familiis inserendis; si parochia pagos multos numerat, duo vel tres libri procurentur, ne unus nimis magnus evadat;

2. In parte formularis nunc praescripti¹⁾ superiori scribatur locus habitationis, numerus domus eiusque nomen vulgare, nec non status patrisfamilias; domus sibi secundum ordinem suorum numerorum succedant;

3. pro qualibet familia duae paginae destinentur et quidem ita, ut aperto libro pagina ad sinistram et illa ad dexteram eidem familiae sit assignata;

4. rubricae expleri haud difficile poterunt; tempus natitatis, confirmationis, primae confessionis, primae communionis, copulationis et mortis *statim* ac isti actus obvenerunt, in libro exhibeantur, ne labente tempore oblivioni dentur atque liber evadat defectuosus;

5. *nomen patrisfamilias*, prouti usque nunc scriptum fuit nulla facta immutatione nunc quoque describatur; ad nomen *matrisfamilias* addatur nomen, quod ante matrimonium gessit;

6. *non expungatur* e libro nomen personae, quae propter mortem, vel propter matrimonium vel alia ex causa familiam perpetuo dereliquit, sed casus talis signo apposito notetur; et quidem casus mortis signo †, matrimonii et emigrationis linea nomini subducta; filio, qui domi qua novus paterfamilias mansit, apponatur signum*; id valet de filia, quae ob defectum filiorum qua materfamilias domum obtinuit;

7. si *viduus vel vidua* novum matrimonium contrahunt, nomen secundi mariti inseratur libro post nomina filiorum ex primo coniugio aliquo tamen intervallo relicto, addataque nota: vir secundus, uxor secunda;

8. si *filius sponsam duxit, vel fors filia haeres sponsum in suam recipit domum*, nomen utriusque describitur post nomina superioris familiae spatio inter utramque sufficienti relicto;

¹⁾ Vide Appendicem.

9. *parentes aliique consanguinei* patrisfamilias, praeter proprios infantes, ad calcem folii pro familia designati inserantur;

10. idem observetur quoad *infantes illegitimos*; in eadem rubrica ac nomen infantis apponatur nomen matris illegitimae, quae in proprio loco in nota qua talis signetur;

11. pro *inquilinis*, qui habitaculum saepius mutant, alias liber procuretur, in quo inquilini ordine alphabetico vel chro-nologico adventus describantur, in nota signetur tempus adventus, locus unde venerunt, atque communitas, in qua ius indigenatus possident; ad calcem vero index conficiatur alphabeticus addito numero paginae, ubi familia comparet ita, ut facile inveniri possit;

12. idem valet de *famulis*, operariis, officialibus, custodibus publicae securitatis et similibus;

13. in rubricam »*nota*« notetur locus, quo persona abiit, poena afflita, scandalum datum etc.

14. tempore *examinis paschalis* liber status animarum strictae revisioni subiiciatur;

15. semper *atramentum nigri* coloris adhibeat, numquam autem plumbum; scriptura sit clara, nitida, ut facile ab omnibus legi possit.

3. De libris piarum associationum.

Ad fovendum spiritum verae pietatis, ad excitandum fervorem orationis, ad extirpanda vitia, ad promovendas virtutes, ad inducendam et conservandam frequentiam Sacra-mentorum in singulis parochiis variae erectae sunt associa-tiones, congregations, confraternitates.

Ut vero istae piae associationes fructum producant ex-optatum, dirigantur oportet in spiritu fundatorum atque secundum regulas pro iis praescriptas. Necessarius quoque esse videtur *elenchus membrorum cum adnotationibus de progressu et regressu associationis*, unde eiusdem rector suum agendi modum facilius determinabit. Quapropter parochos aliosque praesides variarum associationum *monemus*:

1. pro diversitate associationum, sive congregations sint, sive confraternitates, diversos sibi procurent *libros*, in quibus nomina eorum, qui associationi piae adhaeserunt, accurate describantur;

2. in libro pateat locus domicilii, aetas, praeprimis *tempus adhesionis*, *tempus atque causa egressus*;

3. pars libri posterior destinata sit ad delineandas *res gestas* associationis; huc pertinet *protocolum* de iis, quae in sessionibus foris habitis acta sunt, dein *notitiae* de concionibus, de variis pietatibus aliisque eventibus sive prosperis sive adversis;

4. *decani* hos quoque libros suae visitationi subiiciant clerumque excitent, ne propter labores hanc operam negligant, vel penitus omittant.

4. De libro memorabilium.

Historia est magistra vitae. Inde magnum momentum historiae patet. Sacerdotes ad historiam populi secundum veritatem conscribendam multum conferre possunt. Quomodo? Consignando in speciali *libro omnes res memorabiles*, quae in parochia decursu temporis obvenerunt.

Liber memorabilium in nostra dioecesi iam praescriptus est; nunc vero iterum *praescribitur*. Ideo parodios *serio monemus*:

1. Ubi liber memorabilium nondum adest, *statim procuretur*;

2. liber firmiter *ligatus* sit; charta ad illum adhibeatur solidā, si haberi potest lineis obducta; liber non sit nimis amplius, nam tomi minoris amplitudinis facilius prae manibus volvuntur;

3. initio libri *historia prior* parochiae breviter describatur; erui vero poterit e vetustis documentis et scriptis, e libris parochialibus, adnotationibus praecessorum, ex archivio parochiae, e matricis, e testimonio hominum fide dignorum aliisque fontibus;

4. deinde sequitur *topographia* parochiae, clima, cultura materialis et spiritualis;

5. postea recenseantur *curatores animarum*, qui inde ab origine usque ad tempus praesens parochiae praeyerant; acta quoque eorum, in quantum resciri possunt, delineentur;

6. deinde *historia parochiae praesens* modo chronologico continuetur colligendo omnes eventus memorabiles e vita fidelium *religiosa, politica, sociali, morali*;

7. parochus, vel cooperator, cui a parocho cura huius libri commissa fuit, eventus referat, prouti acciderant absque studio partium, absque conviciis in varias personas, absque animositate in proprios adversarios;

8. *scriptura* sit distincta, usus linearum observetur, ad exteriorem partem foliorum liberum relinquatur spatum, variis materiis titulus *praeponatur*, verba, quibus eventus maioris momenti referuntur, linea subduci possunt; initium novi anni, immo novi mensis distincte appareat;

9. eventus describantur statim, cum acciderunt, ast breviter et concise, non secundum famam, sed *diligenti adhibita exploratione*.

§ 3.

De tabulario.

Decursu temporis magnus numerus actorum coacervabitur atque librorum. Multa ex actis magni immo maximi sunt momenti, tum pro historia, tum pro tuendis iuribus beneficii et beneficiati, tum pro necessaria rerum gerendarum cognitione et pro aliis usibus.

Ast usus eorum erit impossibilis, nisi ita in certum et definitum ordinem redacta et conscripta sint, ut scriptum nunc necessarium e congerie omnium facile erui possit.

Huic necessitatibus occurrit per tabularium, sive *archivium* et *registraturam*, ubi acta et libri convenienti actione certoque ordine reponuntur, atque ope bene compositi *repertorii* cito absque multo labore reperiri possunt, ad quem finem *regestum* quoque multum inserviet.

A nostris praedecessoribus saepe saepius parochis omnibus mandatum fuit, ut in qualibet parochia archivia compararentur atque bene ordinata teneantur. Et revera, visitando

parodias fere ubique archivia invenimus, licet praescriptis de ardivio editis ubique non responderent. Quapropter nunc in praesenti Synodo *mandata priora repetimus novisque perficimus.*

1. De archivio.

Archivium quod attinet cura habeatur convenientis *constructionis et opportuni loci*, in quo collocetur.

a) De forma armarii.

a) In qualibet parochia sit *armarium* cum inscriptione: »*archivium parochiae N.*«; *magnitudo* huius armarii seligenda est pro amplitudine et antiquitate parochiae, pro multitudine actorum et librorum, qui in illo recondendi sunt; *profunditas* armarii sit circa 45 cm.

b) ad archivium *lignum* adhibeatur induratum; quapropter *lignum quercus* valde suadetur;

c) *intus* totum spatium in varios *loculos* dividatur; qui asseribus ab invicem separentur; loculi recondendis tum actis tum libris inservient, unde altitudo et latitudo eorum dependet; latitudo cuiuslibet loculi sit circa 30 cm; nam acta redundunt charta manente *extensa, non vero plicata*; excipiuntur archivia iam ordinata, in quibus charta plicata manere potest;

d) in parte *superiori* sint loculi pro variis documentis aliisque actis, in parte vero *inferiori* spatium reservetur pro matriculis aliisque libris ecclesiasticis; *vel* spatio armarii in *partem sinistram et dexteram* diviso, sinistra actis, dextera vero libris reponendis inserviat;

e) *pro documentis aliisque actis* ordinandis *septem* loculi sufficiunt, quibus singulis pro varia materia convenientes tituli praefigantur: I. documenta; II. bona ecclesiarum; III. bona beneficialia; IV. beneficiatus; V. rationes ecclesiasticae; VI. acta matrimonialia; VII. acta currentia;

f) necessarium est, ut armarium *firmiter claudi* possit, quam ob rem sera ianuae cum clave tali modo sit constructa, ut aliis clavibus et quolibet modo artificioso haud possit aperiri.

b) De loco armarii.

Locum quod attinet, in quo archivium collocetur, atten-dendum est:

a) Desideratur locus separatus pro armario, saltem in parochiis valde magnis; locus instructus sit fornice atque praeservatus a humiditate; fenestrae et porta admittant per-meationem aëris, pavimentum, si possibile est, non sit lign-eum, porta sit ferrea vel saltem lamina ferrea obducta, fenestrae munitae sint cancellis ferreis, fornax pateat ad extra;

b) cum talis locus separatus in perpaucis parochiis in-veniatur, ast nihilominus in parochiis saltem amplioribus et vetustis, in quibus maior numerus documentorum, actorum et librorum occurrit, necessarius esse videatur, procurari po-terit occasione novae aedificationis vel maioris reconstructionis domorum parochialium;

c) loco separato deficiente archivium in alio conclavi domus collocetur, si possibile in ipsa cancellaria, vel saltem iuxta illam; in casu necessitatis armarium etiam in alio tuto loco domus, fors in ambulatorio, stare permittitur, quo in casu curandum est, ut semper clausum sit exceptis diebus, quibus ad removendam humiditatem aperitur et anxiose custo-ditur, ne aliquid ex eo depereat.

2. De registratura.

Opportunum est, ut parochus semper et facile prae-manibus habeat libros et acta, quorum usus est fere quo-tidianus. Quam ob causam aliud parvum armarium illi praesto sit et quidem in ipsa cancellaria ad mensam vel supra men-sam, quae ad expedienda negotia illi inservit. Tale arma-rium *registratura* dicitur. In qua procuranda tenendum est:

1. In illa disponetur *collectio librorum*, quae parochio in instruendis, delineandis et exarandis variis scriptis praesto esse debent, ut omnia negotia secundum praecepta eccl-eiastica nec non civilia confiantur;

2. locus sit pro *matriculis*, pro libro *de statu animarum* necnon pro aliis libris, quorum usus frequens est;

3. loculus separatus destinetur pro actis matrimonialibus et alius pro actis currentibus istius anni;

4. a *numero* librorum et scriptorum, qui pro diversa extensione parochiae in singulis parochiis erit diversus, *magnitudo et loculatio* registraturae dependet; generatim *profunditas registraturae et latitudo* loculorum non differat ab illa in archivio adhibita, nam acta etiam in registratura ponuntur charta manente extensa, non vero plicata.

3. De ordinatione et usu archivii.

Modus tractandi omnia scripta, quae in cancellaria occurunt, magni est momenti; *ordo enim actorum et librorum facilisque illorum usus exinde dependet*. Quapropter necessarium esse videtur, ut *Synodus nostra* accuratas desuper regulas praescribat. Proponendae veniunt imprimis regulae de *ordine* scriptorum et librorum in archivio, dein vero regulae de *repositione* scriptorum.

a) De ordine in archivio.

Ut *ordo scriptorum* pernecessarius in archivio constituantur et constitutus conservetur, parodus pree oculis habeat, quae sequuntur:

a) Pecunia numerata, libelli cassae parsimonialis atque syngraphae publicae cum scidulis usurarum (coupons) non in archivio, sed securitatis causa in cassa parochiali reponi debent;

b) in archivii loculo sub numero I. et titulo »documenta« reponantur 1. documenta de fundatione parochiae, deque eius limitibus et privilegiis; 2. documenta fundationum ecclesiarum aliorumque aedificiorum ecclesiasticorum et coemeteriorum; 3. instrumenta fundationum missarum in ecclesia parochiali; 4. instrumenta fundationum missarum in ecclesiis filialibus; 5. instrumenta aliarum fundationum e. gr. pro conservatione cappellarum, pro lumine coram Sanctissimo; 6. instrumenta de iure patronatus;

c) in loculo sub numero II. et titulo »bona ecclesiarum« reponantur: 1. Inventaria singularium ecclesiarum; 2. proto-

colla de commissa administratione bonorum ecclesiasticorum; et quidem protocolla etiam antecessorum in munere parochiali; 3. folia possessionem atque extractus e libris publicis, in quibus iura possessorum describuntur; 4. syngraphae a privatis debitoribus; 5. varii contractus de bonorum emptione, venditione, permutatione, locatione et similes; 6. documenta securitatis contra varia damna; 7. actiones iudiciales de iuribus proprietatis;

d) in loculo sub numero III. et titulo »bona beneficialia« reponantur: 1. Inventarium beneficii; 2. folia possessionum et extractus e libris publicis de iure proprietatis; 3. varii contractus emptionis, locationis et similes; 4. documenta securitatis contra varia damna; 5. actiones iudiciales de iure proprietatis;

e) in loculo sub numero IV. et titulo »beneficiatus« serventur: 1. Fassiones pro congrua probatae a gubernio tum illae quae ad parochium, tum illae quae ad cooperatores et beneficiatos pertinent; 2. fassiones pro determinando tributo fundi religionis et aequivalente taxarum; 3. fassiones pro determinando tributo e proventibus personalibus; 4. consignationes de collectis debitibus, necnon de collectis voluntariis; 5. consignationes de oblationibus in ecclesia vel in variis occasionibus; 6. proventus stolae;

f) in loculo sub numero V. et titulo »rationes ecclesiae« ordine chronologico ordinentur rationes annuales cum copiis documentorum, quae rationibus adiici debent;

g) in loculo sub numero VI. et titulo »acta matrimonialia« detineantur omnia acta omniaque documenta, quae in contrahendis matrimonii comparari debuerunt;

h) in loculo sub numero VII. et titulo »reliqua acta« reponantur omnia reliqua acta, quae quotidie occurrunt et quidem ordine omnino chronologico secundum numerum currentem et secundum annos sibi subsequentes; his actis prima quoque scriptorum exempla (»concepta«) adnumerantur;

i) in loco destinato pro libris ecclesiaticis: pro matriculis, pro statu animarum, pro libris fundationum, debitorum,

pro libris variarum confraternitatum et sodalitatum, pro folio dioecesano et reliquis omnibus, libri recto ordine dispositi collocentur.

b) De repositione scriptorum.

Exposito ordine in archivio servando ostendere oportet adhuc *viam, qua scripta in suum locum perveniant.*

a) Quando parochius ipse ad aliud officium scribere tenetur, necesse est imprimis, ut conceptum litteris mandet, illum expoliat atque expolitum nitide transscribat;

postea statim materiam, de qua agitur, in *protocollo gestorum* modo iam explicato memoriae prodat:

ultimo exemplar transcriptum ad officium, cui destinatum est, expediat, conceptum vero in registratura reponat;

b) si vero scriptum ab alio officio obtinet, in parte superiori externa datum scripti accepti, in parte vero inferiori numerum currentem ponat;

argumentum scripti statim in *protocollo gestorum* sub eodem numero currente describat, scriptum vero ipsum in *registratura* aliis adiungat;

in responso parochus similiter procedere debet, prout supra sub *a)* notavimus; attendat vero ad numerum currentem, qui est idem ac numerus scripti, ad quod respondet, atque ad *protocollum gestorum*, in quo argumentum responsi in *rubrica quarta* »quid cum scripto factum sit« immediate ad dexteram argumenti scripti ipsius concise notare oportet; in rubricam quintam venit dies expeditionis;

responsum inseratur scripto, ad quod respondetur, qui-que in registratura iam iacet;

c) si vero scriptis adiecta sunt alia documenta et libelli, qui in loculos I., II., III., IV., V. vel VI. reponendi sunt, statim illuc reponantur; et quidem ordine supra descripto; documenta in loculis I.—IV., quae ob simile argumentum ad eundem numerum pertinent, proprium habeant involucrum, cui iste numerus et argumentum superscribitur; acta matri-

monalia et rationes ecclesiasticae, quae ad istum annum pertinent, involvantur in unum in volucrum;

d) acta matrimonialia omnia retineri in registratura possunt; idem valet de rationibus ecclesiasticis;

e) anno autem finito rationes ecclesiasticae et acta matrimonialia in involucro e charta firma cum ligulis colligati in loculo archivii sub numero V. resp. VI. reponantur; eodem modo reliqua quoque acta in loculo archivii sub numero VII. recondantur; involucris vero superscribitur: rationes ecclesiasticae, acta matrimonialia resp. acta parochialia ex anno N.

4. De repertorio.

Quo determinato agendi modo fit, ut varia documenta necnon varia acta *loco definito, numquam mutando, in perpetuum serventur.*

Ast quomodo varia scripta ex annis praecedentibus in casu usus necessarii poterunt reperiri? Ope sollerter compo-
sito *repertorii*. De repertoiris notandum est:

a) Pro documentis et scriptis *cuiuslibet loculi* proprium repertorium procurandum est;

b) pro documentis in loculo I. *tot folia chartae firmae in unum ligari debent*, ut pro singulis numeris materiarum huius loculi tot paginae praesto sint, ut, consignatis in pagina una vel pluribus documentis in eodem involucro sub eodem numero contentis, adhuc parvum saltem spatium remaneat, in quo nova documenta, quae decursu temporis addenda erunt, describi poterunt;

in huius libelli pagina prima sub numero 1. describantur documenta fundationis parochiae; dein pagina secunda vel tertia sub numero 2. documenta enumerentur fundationum ecclesiarum . . .; postea sub numero 3. instrumenta fundationis missarum et sic porro;

libellus in isto ipso loculo repositus habeatur;

c) idem modus valet pro scriptis in loculis sub numero II., III., IV.;

d) pro loculo V., ubi rationes ecclesiarum custodiuntur, *repertorium brevissimum* sufficit, nam satis erit notare in folio annum rationis positae et diem rationis approbatae;

e) pro loculo VI. repertorium *nomina recenseat sponsorum* cuiuslibet anni ordine chronologico, quo copulatio contigit;

f) pro loculo VII. repertorium *separatum necessarium non est*; sed sufficit *repertorium commune*, quod e protocollo gestorum sequenti conficitur modo:

anno absoluto tituli materiarum vel personarum vel locorum, prouti in protocollo gestorum in rubrica »Signum« occurrunt, simul cum numero currente et numero loculi in parvis scidulis scribuntur, ordine alphabetico disponuntur, atque eodem ordine in libellum dictum repertorium ita referuntur, ut in parte sinistra paginae isti tituli, in rubrica secunda iuxta titulum argumentum brevissime conceptum, in rubrica tertia numerus currens, in rubrica vero ultima numerus loculi notetur.¹⁾

¹⁾ Repertoriis modo praescripto comparatis documentum quodlibet et scriptum quodlibet facili reperiri poterit negotio; e. gr. parochus novus conficere desiderat fassiones pro assignanda congrua; ast absque fassionibus praedecessorum vix aut ne vix quidem atque multo cum labore illas conficiet; nunc recurret ad loculum archivii sub numero IV. sub titulo »beneficiatus« et statim in repertorii pag. 1. consignatas inveniet fassiones praedecessorum; si vero de proventibus stolae certior esse vult, in eodem repertorio sub num. 6. consignaciones desideratas inveniet;

vel si sponsus x y documenta matrimonialia petit, parochus in loculo sub nnn. VI. habebit repertorium, ubi nomina sponsorum ordine alphabetico consignata sunt, quo inspecto facile scripta requisita inveniet;

si agitur de alia re, de relationibus ad ordinariatum vel ad protestatem civilem, v. gr. de collectis expeditis, vel de schola, vel de scriptis et actis, quel ad scripta sub I—VI. pertinent tunc repertorium adhibebit ad num. VII., in quo materiae ordine alphabetico dispositae sunt; in illo requiret nomen »collecta« vel »schola«, vel »fundatio missae« statimque cognoscet numerum currentem, quo cognito in protocollo gestorum de actis circa collectam vel scholam vel fundationem sciscitarbitur, vel si necessarium erit, loculum adibit sub num. VII., unde cognito anno et numero currente facile scriptum ipsum eruere poterit.

5. De regesto.

Regesto cura pro archivio rite ordinato perficitur atque absolvitur. Est autem regestum *descriptio omnium documentorum, actorum et librorum*, qui in archivio depositi sunt.

Quoad regestum attendendum est:

a) Primo describi debet *locus* archivii; an sit conclave separatum, an in domo parochiali, an in ecclesia? an fornicē, portis ferreis, fenestrī cancellatis praeditus?

b) deinde *archivium ipsum* describatur, utrum sit ligneum, an scrinium?

c) notetur *numerus documentorum*, quod documenta exarata sint in *pergamena*, quot in *charta*? ex quo *saeculo*?

d) idem valet de *numero scriptorum*, saltem *quot scripta circiter adsint*, vel *quot fasciculi*? ex quo *saeculo*?

e) numerentur archivalia, quae *formam librorum* habent, ut sunt urbaria, cartularia, i. e. monumenta et documenta in librum transcripta, chronicon, matriculae iuris localis, libri possessionum, libri rationum, inventaria, catalogi, antiphonarii, antiqua missalia, conciones, protocolla, scripta scientifica et similia; addi poterit *notitia temporis*, quo praedicti libri scripti fuerunt;

f) notetur *numerus matricularum*, addito anno, a quo inchoaverunt, signatis annis, quibus forte interruptae fuerint;

g) si parochia vetustiorem possidet *bibliothecam*, notare oportet, num bibliotheca ordinata sit, num libri theologici vel alterius materiae praevaleant, num dentur libri *antiquiores anno 1800*, num praesto sint *incunabula*;

h) deinde investigandum, existante scripta exarata in *peculiaribus festis vel eventibus*, num prello impressa, fors usque ad hoc tempus neque bibliographis cognita; ex quo *saeculo vel anno*? Libri huiusmodi, si maioris momenti sunt, describantur uberioris adducendo *titulum, auctorem, locum, argumentum*.

Tali modo absolvitur regestum, quod pro cognoscenda historia locorum et populi permagni momenti esse potest. Formulare in appendice ad Synodus praebetur.

§ 4.

De instructione cooperatorum in gerendis negotiis parochialibus.

Non solummodo in casu, quo cooperatores ad parochiam promoventur, sed etiam in casu, quo propter mortem vel discessum parochi cooperator qua administrator parochiae constituitur, necesse est, ut omnia negotia parochi tum in administrandis bonis ecclesiasticis, tum in gerenda cancellaria bene noverit.

Quapropter iam Synodus prima¹⁾ parochos obligavit, ut cooperatores in omnibus negotiis parochialibus instruere haud negligant. Cum vero haec Synodus secunda de istis negotiis toto titulo II. uberioris disseruerit, necessariasque instructiones proposuerit, serio volumus, ut cooperatores omnia huc pertinentia revera addiscant. Qnem in finem mandamus:

a) Materia tituli II. obiectum sit *examinis* tum in seminario in examine e *theologia pastorali*, tum in examine pro *concursu parochiali*;

b) *parochus* cooperatorem suum in *omnia negotia inducat*, cooperator vero parochum in istis negotiis gerendis libertissime adiuvet;

c) parochus procedat *gradatim*, ne cooperator propter multitudinem negotiorum, instructionum et formularium perturbatus animum despondeat;

d) procedere autem parochus modo poterit sequenti:

1. primo loco invitetur cooperator, ut in *transscribendis matriculis* parochum adiuvet;

2. parodo invigilante cooperator varios casus occurrentes in *libros ecclesiasticos inscribat*;

3. cooperator *testimonia conficiat* de baptismate, de sepultura, de copulatione, quae tamen a parodo accuratae revisioni subiiciantur;

¹⁾ Synodus pg. 174, c.

4. item cooperator *varias relationes* conficiat, quae singulis mensibus, vel quolibet tertio mense, vel quolibet anno ad varia officia transmittenda veniunt;

5. ulterius progrediendo parochus cooperatori ostendet librum, in quo *fundationes missarum* consignatae sunt, instruatque illum de *formalitatibus*, quae in erigendis fundationibus requiruntur, de investiture sortis vel in fundo vel in *syngraphis publicis* vel in instituto parsimoniali, de *vinculo syngrapharum* et librorum cassae parsimonialis, de requisitione fructuum sortis, deque divisione eorum inter participantes;

6. eodem modo parochus cooperatores *de debitibus et debitoribus* informabit, deque modo progrediendi in casu, quando debitor summam restituit;

7. deinde parochus cooperatorem edocere poterit de *proventibus et expensis ecclesiarum*, deque necessariis probatioibus expensorum;

8. huc pertinet *diurnale* dati et accepti, quod cooperatori ostendi atque explicari debebit;

9. parochus cooperatorem paulatim de modo edocebit, quo *rations ecclesiasticae* quolibet anno confici debeant; computum pro una vel altera ecclesia filiali cooperator ipse manuducente parocho conficiat;

10. cooperator de variis quoque *fassionibus*, deque variis *censibus et vectigalibus* informari debebit et quidem practice per explicationem legum et formularium;

11. *protocolum quoque gestorum* parochus a cooperatore non occultabit, sed cooperatori declarabit nec non scribere illum invitabit;

12. deinde parochus cooperatori varia *scripta confienda* permittet invigilabitque illum, num scriptum quoad formam intrinsecam et extrinsecam rite exaratum sit;

13. *libros quoque confraternitatum, associationum, sedilium in ecclesia, publicationum dominicalium, memorabilium aliosque* parochus cooperatori non *solummodo, inspiciendos* sed *etiam scribendos* ostendet;

14. idem valet de *protocollo nupturientium*;

15. ultimo cooperatorem *de registratura et archivio* informabit, tum de forma et constructione, tum de modo, quo varia scripta illuc reponuntur, de modo, quo repertorium conficitur nec non de via, qua scripta usui necessaria facili modo iuveniri possunt.

Hac vel simili via cooperator negotia parochialia omnia cognoscet, in iisque gerendis maiorem in dies dexteritatem sibi acquiret, de qua *dexteritate acquisita in testimoniis, quae cooperatori a parocho eduntur, mentio fiat.*

Conclusio.

Regi saeculorum, immortali et invisibili, soli Deo honor et gloria atque gratiarum actio pro adiutorio, quo Synodus haec secunda couenienter praeparari, legitime celebrari nec non ad felicem exitum perduci potuerit.

O dulcissimum Cor Jesu! per manus beatissimae Virginis Mariae constitutiones et instructiones huius Synodi omnes Tibi offero atque commendo supplexque peto uberrimas nec non efficacissimas gratias pro clero, ut mandata et consilia omnia, praecipue illa, quae ad doctrinam christianam pertinent, executioni ab illo mandentur, bona spiritualia multa procurentur et progrediendo in virtutibus christianis illuc omnes perveniant, ubi Te a facie in faciem videre atque in aeternum Tecum beati esse valeant. Fiat! Fiat!



Approbatio.

In Nomine Sanctissimae Trinitatis.

